39041/B

[illegible]

O'CONNELL, Maurice

Ex libris

J. F. Costigan

55150

MORBORUM
Acutorum, et Chronicorum
QUORUNDAM,
OBSERVATIONES
Medicinales Experimentales,

Sedulâ complurium annorum praxi, tum *Corcagiæ*, tum in locis circumjacentibus, exantlatâ comprobatæ.

Authore MAURITIO ô CONNELL, M. D.

Opinionum commenta delet dies, naturæ judicia confirmat. *Cic. de Nat. D.*

Inveniuntur in quibus aliter, atque in cæteris, idem eveniat; et cauſæ quoque æſtimatio ſæpe morbum ſolvit. *Celſ. in Præf.*

Sic enim arbitror univerſam artem commonſtratam eſſe; eò quod ex unoquoque fine obſervatio facta eſt, et conſonantia in idem concurrerit. *Hipp. lib. de præcept.*

DUBLINII:
Typis S. POWELL;
Proſtant venales apud G. FAULKNER, in vico vulgo dicto *Eſſex-ſtreet*, et I. KELLY in vico *Mary's-lane.*
M DCC XLVI.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

DOCTISSIMO,

Ampliſſimoque VIRO

D. D. *Richardo Mead*, M. D.

Sereniſſimi GEORGII Secundi *Magn. Britan.* &c. Regis Medico ordinario, et S. R. Lond. S.

NE mireris Quæſo, Vir celeberrime, quòd tuâ fretus humanitate, rudem hunc ingenii mei fœtum, magno tuo nomini dedicandum decreverim. Cui enim potiori jure, quàm redivivo hujus ſeculi *Hippocrati*, obſervationum medicinalium committitur tutela? Te vero, Doctrinâ omni *Hippocraticâ*, ſolidiſſimâ Recentiorum Theoriâ locupletatâ, eſſe inſtructiſſimum, teſtantur aurea tua olim Edita Opera,

Opera, ſagaciſſima in obſervando patientia, et acerrimum in Praxi exercendâ judicium. Hæc omnia incredibili ægrorum emolumento, experitur feliciſſima, quæ te genuit, et fovet, *Britannia Magna*; noſtra palam prædicat *Hibernia*; tota denique agnoſcit *Europa*.

Cùm verò tanti viri præconiis mea omnino impar ſit oratio, nihil dicam ampliùs; nè animum tuum moderatiſſimum graviùs lædat, eminentiſſimarum tuarum virtutum Enumeratio.

Me interim cum oblato tibi libello, ſi Patrono te quadantenus dignum exiſtimaveris; tui Admiratorem profiteor futurum,

Vir ſpectatiſſime,

ad Cineres uſque

obſervantiſſimum.

MAU. Ô CONNELL.

Of all the Letters which the Author has receiv- ed in Approbation of this Work, 'tis judged ſuf- ficient to publiſh the Three only that follow:

LETTER I.

To *Maurice O'Connell*, M. D. *Dublin.*

From the moſt Eminent *R. Mead* Eſq of *London*, M. D. F. R. S. and Phyſician to his Majeſty, &c.

SIR,

IT gave me real Concern that I have not had a proper Opportunity of Writing to you earlier. The Caſe is thus, when a Gentleman, ſome Time ſince, delivered to me your Book, *Morborum quorundam Obſervationes*, &c. which you have done me the Honour to Dedicate to me, being in Company at that Time at Home, and a little hurryed in Buſineſs, I deſired the Gentleman to do me the Favour to call at ſome other Time, intending indeed to return my Thanks to you in a Letter by him, and alſo to make you a ſmall Preſent of my two Books, of which I have given a new Edition, *viz. Eſſays on Poyſons*, and *De Imperio Sol. ac Lun.* &c. But I have never ſeen the Gentleman ſince; if therefore you will be pleaſed to order any Perſon here to call upon me, I will deliver them to him, and deſire your Acceptance of them.

As to your own Book, I do aſſure you, I reckon my ſelf extremely obliged to you, not only for the Honour of the Dedication, but

for the good Learning and Knowledge contained in it; the Style is alſo elegant; I have read it with Pleaſure, and recommended it to many of our Phyſicians, who have all commended the Performance. Go on, Sir, happily to oblige the World with your learned Labours; and believe me always to be, with great Sincerity and Reſpect,

Sir,

Your moſt Obedient Servant,

and faithful Friend,

London, March 19. 1746-7.

R. MEAD.

LETTER II.

To *Maurice O'Connell*, M. D. &c. *Dublin.*

From *H. D. Gaubius*, M. D. Profeſſor of Phyſic and Chymiſtry, and Magnificent Rector of the Famous Univerſity of *Leyden*, tranſlated into *Engliſh* from a *Latin* Original.

SIR,

I Had the Honour of your obliging Letter, and acceptable Preſent by the young Gentleman you recommended to me, for both which I now take this Opportunity of returning you my hearty Thanks; aſſuring you in the mean Time, that you may confidently rely on my doing your Friend every good Office in my Power, and contributing with chearfulneſs my greateſt Efforts to promote and improve him in his new Undertaking.

Your Book, *Morborum quorundam Obſervationes*, &c. I have indeed read with the utmoſt

moſt Pleaſure ; The Obſervations are uſeful and ſolid ; the Deſcriptions of Diſtempers, and Practice exquiſite ; and the whole Performance, I think, ſo juſtly commendable, that I ſcarce peruſed any among the modern Obſervers with Equal Satisfaction. I may therefore, Sir, properly ſtile you another *Iriſh Sydenham*, ſince as that preceding great Man, with admirable Sagacity and indefatigable Labour moſt accurately painted the Hiſtory, Progreſs, and Method of Cure of the ſeveral Epidemics of his own Time in *England* ; ſo have you likewiſe with great Induſtry, Skill and Exactneſs, deſcribed thoſe of yours, in your own Country. Permit me now, Sir, for thoſe Reaſons earneſtly to entreat, you will by no means refuſe to communicate to us hereafter ſuch further Obſervations, as your moſt exquiſite and prudently conducted Method of treating Diſtempers, ſhall duly ſuggeſt to you. Fare-well moſt learned Sir, and continue by your diligent Attention to all the various Circumſtances of the Sick, happily to oblige the practice of Phyſic. I am, *&c.*

Leyden, Dec. 17. 1746. *H. D. GAUBIUS.*

LETTER III.

From another Eminent Phyſician in *London*.

To *Maurice O'Connell*, M. D. *Dublin.*

Dear Sir,

IF I have not been earlier in acknowledging the Favour of your kind Letter, and return-ing

ing you my very ſincere Thanks for the Excellent Preſent you ſent me, I hope you'll do me the Juſtice to attribute it to its true Cauſe, The Hurry of Buſineſs that deprived me of Leiſure to peruſe ſooner, what I have lately done with the greateſt Pleaſure and Satisfaction. I can ſay with great Truth that all the Well-wiſhers to, and true Judges of the Art of Healing, will be always obliged to you for your Excellent Performance; the Subject Matter of which is moſt intereſting, your Method of treating it moſt Exquiſite, and your Style and Diction conſpicuous for their Purity and Clearneſs. Go on, Worthy Sir, as you have hitherto done in the Tracks of your great Predeceſſors, the *Divine Hippocrates*, and *Honeſt Sydenham*; continue to enrich the Republick of Phyſick with your wiſe Obſervations and prudent Remarks. The lateſt Poſterity will ſound your Praiſes. I have the Honour to be with the greateſt Regard and Eſteem,

Dear Sir,

Your moſt Humble,

And moſt Obedient Servant,

MICH. CONNELL, M. D.

London, March
17, 1746-7.

AD

LECTOREM.

NOSTRUM hunc de morbis acutis, & chronicis quibuſdam, jàm editum tractatum, æquo te animo accepturum oro, (candide Lector) & confido. Ad hoc etenim opuſculum typis publicis mandandum, non incitavit ambitioſa popularis auræ ſpes; non vana novitatis aviditas; non ſordida denique lucri cupido; purus è contra veritatis amor, amicorum hortatus, & peculiaris veræ praxeos promovendæ ardor, in idem potiſſimùm impulerunt. Quidquid demùm fuerit, quod ad hoc ſuſceptum inchoandum inſtigaverit; non eò inſolentiæ proceſſi, ut in materiâ hâc nimis ar-

duâ & difficili, omnem me numerum abſolviſſe, mihi inanitèr adblandiar; pœniteret utcunque, ad curationem morborum feliciorem facilitandum, modulum noſtrum; tentamina ſaltem noſtra non contuliſſe.

Tres diſtinctas epidemicas diverſorum annorum conſtitutiones, totidem libelli noſtri ſectionibus comprehenſas, de morbis acutis agens, notavi. Morborum hiſtorias, & aptiſſimam medendi methodum repetitis mihi ſæpiùs experimentis compertam, quâ potui fidelitate, delineavi. Quià verò genuinas indicationes curativas monſtraviſſe, ut plurimùm ſat haberem; formulas remediorum pauciores concinnavi. Medicamentorum nihilominùs ſimplicium, et compoſitorum quorundam virtutes efficaces, mihi in certis caſibus per experientiam cognitas, ſubindè explicavi. Authorum clariſſimorum ſcripta, ob nullam aliena ſurripiendi opera cupiditatem, aut injurioſam hæc eadem mihimet ipſi arrogandi voluntatem, ſæpiùs citavi; ſed ut aliorum potiùs authoritate, & teſtimoniis, his, quæ coacervata in meâ praxi me docuerunt experimenta, major adhùc fides adferatur; & ut hìnc inſupèr, vera medendi methodus, tam ſeniorum medicorum, quam propriis noſtris obſervationibus confirmata, (invitis licet ſyſtematum mentalium patronis, peſtem medicinæ nefariè molientibus) in Tyronum

gratiam,

gratiam, & communem omnium utilitatem, firmior maneat, & minùs concuſſa.

Cum verò nihil in ſequentibus pagellis pro rato haberem, quod confirmata priùs non comprobaverit experientia; in nullius quanticunque nominis authoris verba, jurare præter rationem propenſus, hos præcipuè ſcriptores practicos, præ aliis colendos volui, qui dogmata morborum curativa, longo uſu, obſervatione ſedulâ, & iteratis experimentis confirmata tradiderunt. Quòd igitùr ab aliquibus magni nominis viris quandoque diſſentiam, id nulli omninò contradicendi animo, ſed ardenti potiùs veritatis propagandæ ſtudio, meritò debetur.

Ab hiſtoriis ægrorum particularibus, crebriùs vel jactantèr depingendis, (quamvis harum in pleriſque morbis innumeræ penes me fuiſſent) manum conſultò temperavi. Sub calcem tamen obſervationis cujuſlibet ferè morbi acuti generalis, paucas tantùm hujuſmodi hiſtoriolas ſubnexui; ut quæ ſummatìm priùs notaviſſem, evidentiùs hinc confirmarentur. Quædam in præfatione, de Corcagiæ *ſitu, naturali* Hiberniæ *hiſtoriâ, generali morborum epidemicorum ætiologiâ, & medendi methodo præmiſi; ad morborum in hoc regno ingruentium genium, naturamque intelligendum, haùd parùm (ut ſentio) conducentia. A clariſſimi cujuſdam medici* Corcagienſis *ſententiâ, ſuper*

hâc

hâc re diſſentire cogebar; quod mihi (ut ſpero) condonabit; cum ſaluti humanæ proſpicienti omni de re medicâ ſcriptori licitum ſit, abſque vel minimâ inferendæ injuriæ ſuſpicione, quæ circa curationem morborum præcipua notaverit; candide aperire.

Quod ſupereſt, ſine te exorem, (benevole lector) ut ſtylo harum lucubrationum benignè faveas incompto; & parcas interim variis, qui in libellum noſtrum, ſivè ſyllabarum literas ordinando, ſivè ſententiarum puncta diſponendo, ſivè denique ipſam orationem inſtituendo, irrepſerunt, typi erroribus; qui raptìm, & ſucciſivis tantum horis perlegentem facilè effugiebant; horum licet præcipui, ſub erratorum titulo literis conſignentur. Hic autem non de verbis, aut vocibus agitur, ſed de rebus; quæ ſi in commune omnium bonum quantulumcunque cedant; & aliquam junioribus, minùſque exercitatis in hâc noſtrâ Hiberniâ *medicis, ad medendum præferant facem; qui noſtri qualiſcunque laboris præcipuus eſt finis, ſummam voti mei attingam; ſi vero (præter intentionem) ſpem meam fefellerit rei eventus; conamina minimùm noſtra, ad finem ita laudabilem aſſequendum, æquiſſimo animo obtuliſſe non pigebit. Vale.*

Dat. Dublinii *pridiè Calendas* Auguſti, 1746.

Errata.

Errata.

PAginâ v. lineâ 8. perpretrare, lege perpetrare. p. xii. l. 22. incerdibilem, l. incredibilem. p. xiv. l. penultimâ corbonum, l. carbonum. p. xvi. l. 5. ſolinoſis, l. ſalinoſis. p. xxvii. l. 7. varias, l. varios. p. xxxiv. l. 25. cum aquâ, l. aquâ. p. xxxv. l. 6. ſit amen. l. ſi tamen. p. xxxvi. l. 29. bibendum, l. bibendam. p. xlii. l. 6. uilis, l. utilis. p. liv. l. 12. acidula, l. acidulata, p. lvii. l. 9. febrillas, l. fibrillas. p. 75. l. 5. acidata, l. acidulata. p. 82. l. 5. exiguâ, l. in exiguâ. p. 84. l. 16. dele *cum*. p. 142. l. 4. dele *cum*. p. 152. l. 26. dele *cum*. p. 198. l. 23. alacriorem, l. alacrem. p. 204. l. 13. dele *cum*. p. 206. l. 13. dele *cum*. p. 212. l. 1. dele *cum*. p. 234. l. 4. dele *cum*. p. 245. l. 26. dele *cum*. p. 289. l. 4. ortas, l. ortos. p. 326. l. 15. charitas, l. caritas. p. 338. l. 17. primò, l. præcipuè. p. 340. l. 6. doſe, l. doſi. p. 345. l. 10. doſe, l. doſi.

PRÆFATIO.

Ubi de naturali *Hiberniæ* hiſtoriâ, de ſitu *Corcagiæ*, et de morbis epidemicis in genere nonnulla præmittuntur.

CUM mihi a primâ adoleſcentiâ, in exteras regiones peregrinanti, præ cæteris quibuſlibet artibus, aut ſcientiis, arrideret medicinæ ſtudium; abſoluto prius philoſophiæ experimentalis, et mechanicæ curſu, per aliquot hinc ſubſequentes annos, *Theoriæ medicæ*, quâ magnoperè profectò delectabar, intentum animum applicavi.

In hâc autem, cùm me tandem mediocriter profeciſſe comperiſſem; et plurimorum authorum ſyſtemata practica, ac medendi

dendi methodum diligenti attentione perlegiſſem; ſaniori ſeniorum quorundam, haud infimæ notæ, medicorum conſilio inſtructus, ad praxim medicam ab ipſis ægrotis in noſocomiis ediſcendum, et ad opera *Hippocratica*, ſicut et clariſſimi *Sydenhamii*, aliorumque authorum, qui *Hippocratica* calcabant veſtigia, eodem tempore perlegenda me totum devovi.

Hoc demum per aliquot adhuc annos, exantlato feliciter admodum labore, et morâ aliquâ *Londini*, et *Oxoniæ* in reditu factâ; in noſtram hanc *Hiberniam* tandem reverſus, nullâ feliciori methodo, me conterraneorum meorum ſaluti proſpicere poſſe judicavi; quam ut, ſpretâ deinceps, neglectâque ſpecioſâ, ſed moleſtâ *Theoreticorum* ſyſtematum, inutiliumque ſpeculationum pompâ, ad phænomena practica, et medendi methodum, genuinis morborum obſervationibus ſuperſtructam, ſolidâ ratione innixam, et longo uſu confirmatam me quamvis adhuc juvenem, acriter, et ſedulo applicarem.

In hoc igitur propoſito firmiter perſiſtens; in caſus aliquos haud vulgares, pro deploratis habitos ſubito et opportunè incidi, qui methodo, quam olim in noſocomiis obſervando expertus ſum, præter multorum expectationem, favente numine, feliciter ſublevabantur.

Auctâ

Auctâ ſenſim hinc, et extensâ intra biennium præter modum praxi, frequentior, et numeroſior per xxv. annorum curriculum in pleriſque morbis mihi occurrebat obſervandi occaſio, tam *Corcagiæ*, quam in locis ad quadraginta plus, minus, milliaria indé excurrentibus, continuata.

Perſuaſus intereà probi medici officium, et virtutem non minús in ampliandâ et illuſtrandâ morborum hiſtoriâ, quam in ipſis ægrotis lectulis incarceratis, a morbo liberandis inſignitér elucere: cum utraque ex æquo ſaltem ſint charitatis in proximum, et humanitatis indicium; ad exemplum *Hippocratis magni*, *Sydenhamii expertiſſimi*, aliorumque clariſſimorum virorum qui praxim medicam aſſiduo labore ampliarunt, obſervationes morborum quorundam acutorum et chronicorum quos per prædictum annorum numerum in urbe antedictâ, et locis circumjacentibus diligenter pertractavi, quâ potero brevitate, et perſpicuitate fidâ delineabo. Præmiſsâ tamen prius compendiosâ aliquâ, et verâ, licet imperfectâ regni *Hiberniæ* naturali hiſtoriâ, deſcriptoque urbis *corcagiæ ſitu*: quorum quidem aliqua vel rudis ſaltem notitia ad complurium morborum, in hâc regione ingruentium hiſtorias, et indicationes curativas ſtabiliendas nonnihil conferre videtur.

Neque vero a me expectet quiſquam concinnam, elegantem, aut methodicam hiſtoriam; cum obſervationes tantum magis principales, et ſparſas, omni ornatu, et facundiâ deſtitutas, nec methodico forſan ordine digeſtas, naturæ tamen, ut ſpero, motibus accomodatas in publicum edere animus ſit. Quo abſolvendo penſo, ſi in praxi medicâ magis exercitatis minús placeam; ignoſcent ſaltem ſpero qui ex hâc claſſe probitate et aliis virtutibus inſigniuntur; cum contumeliæ, aut odii quibus in me licet inſontem, malevolorum corda ex hâc occaſione fortaſſé flagrarent, ex nullo alio incitamento pericula incurriſſe facilé comperiant; quam ut commune conterraneorum bonum, et publicam utilitatem privato commodo, aut famæ propriæ anteferam; et ut doctiores inſuper, magiſque exercitatos medicos incitarem ad obſervationes ſolidiores, in artis medicæ ſplendorem, et incrementum toti orbi communicandas.

Quod ſi indoctioribus, et in praxi medicâ minus exercitatis, aut ſubtili alicui, et dilecto ſyſtemati ſpeculativo alligatis, hi noſtri tenues bilem moveant conatus; quia noſtræ ſcilicet obſervationes, ad hypotheſes horum commentatas et in naturâ minimé fundatas minús apté quadrant. Nec hoc quidem me a ſcopo, aut honeſto deterrebit

pro-

propoſito: cum probé noverim quam impium ſit, et ſceleſtum, talium ſyſtematum conditoribus, aut erroneæ praxi commentitiis talibus hypotheſibus innixæ aſſentiri: quia malum, quod in noſtrâ poteſtate eſt, ut evitetur, non avertere, diſſuadendo ſaltem et diſſentiendo ac idem malum primario perpetrare, mihi feré videtur æqualiter facinoroſum.

Et ut verum fatear, cum mihi ex hiſtoriâ medicinæ, ab omni ævo per experientiam, et obſervationem auctæ, certó conſtaret quantâ felicitate, et animi Conſtantiâ veteres *Græci*, præcipué vero *Schola Coa*, inter quos, præ cæteris, eminebat *magnus Hippocrates*, praxi medicæ ſtabiliendæ, et per obſervationes conſtantes multo ſtudio, arte, et labore comparatas, promovendæ contulerint; Cumque animo revolviſſem ſtupenda illa, et nunquam ſatis laudanda eximiæ eruditionis monumenta, quæ opera Hippocratica vocantur; Quodque magnus ille vir, ut et *Cælius Aurelianus*, *Aræteus*, aliique græci per ſubſequentia ad *Galenum* tempora, ſolidioris medicinæ gloriam ſibi juré vindicaverint; donec labefactato gradatim, a barbarorum incurſu, Romano imperio, medicinæ et aliarum ſcientiarum devaſtatio ad decimum æræ Chriſtianæ aut circiter ſeculum perduraverit; Erranſque abſque gubernatore medicina

cina in hâc temporis eremo, ad arabes tandem tranſlata fuerit: A quibus ita miſeré torquebatur, cum tantâ de verbis controverſiâ, tantâque in agendo confuſione, ut nihil certi in medendo pronunciari poſſit. Hinc auctâ, contagio maligno, Arabicâ lue, ad latinos turpitér jactata tandem medicina tranſlata fuit; apud quos non meliori feré fato potita, ad decimum quintum uſque ſeculum, funeſtus hic ſalutaris artis ſtatus perduravit. Excuſſo demum Arabicæ ſervitutis jugo, *Martianus*, *Septalius*, *Duretus*, *Ballonius*, & alii Clariſſimi viri ad reſtaurandam veterum Græcorum in arte medicâ ſapientiam totis viribus ſatagerunt. Quâ quidem in re ita feliciter proceſſerunt ut veram medendi methodum juxta Græcorum leges ſubindicaſſe agnoſcantur. Cum, inquam, præfatum medicinæ ortum, & occaſum ex hiſtoriæ lectione maturiús intellexiſſem; nec non commoda quoque, & incommoda à chymicorum, & recentiorum quorundam philoſophorum principiis ſalutari arti accedentia percepiſſem; horum omnium, recordatio alacrem mágis mihi profectó addidit animum, ut ægrorum lectos frequentando conſtantibus & repetitis morborum obſervationibus totus incumberem: Cum me docuerit authentica medicinæ hiſtoria nullâ aliâ methodo, (ſaltem diligentibus obſervationibus neglectis) hacte-

hactenus acceſſiſſe, aut in futurum acceſſura eſſe ſalutari arti incrementa.

Neque reverá ex hactenus dictis intelligi velim, me theoriam medicam improbare, aut ad veram medendi methodum Stabiliendum, & excogitandum minus utilem judicare; cum vera theoria, cujus fundamenta jacta ſunt in experimentis ſeduló, & coacervatim factis, è naturalis philoſophiæ penu depromptis, in clarâ & diſtinctâ corporis humani ſtructurâ cognoſcendâ, in œconomiâ animali intimé, et ſeduló examinandâ, et explorandâ, in corporum qualitatibus, & motibus per certas leges è mechanicâ, & mathematicâ philoſophiâ depromptas, determinandis, & demonſtrandis, in medicamentorum ſimplicium triplicis regni virtutibus, & naturâ arte chymicâ, & repetitis experimentis inveſtigandâ, non tantum ad praxim medicam ſtabiliendam, & confirmandam utilis valde, ſed meo quidem judicio, magnoperé, ſi non abſoluté ſit & ſimpliciter neceſſaria. Et in hâc quidem illuſtrandâ, & ampliandâ multum profecerunt clariſſimi viri *Newtonus*, *Boilus*, *Copernicus*, *Bellinius*, *Borellus*, *Malpigius*, *Harveus*, *Duverneius*, *Mead*, *Friend*, *Kiel*, *Boerhavius*, *Pitcarnius*, *Cheyneus*, *Baglivus*, *Helmontius*, *Paracelſus*, *Lemerius*, & complures alii.

Hujus

Hujus autem theoriæ munus eſt, experimentorum fallaciam detegere; Empiricorum audaciam, & ignorantiam retundere; rationem phænomenon in morbis apparentium reddere; antecedentia cum preſentibus recté comparare; occultas morborum cauſas, & veros cauſarum fontes inveſtigare; aliaque ejuſmodi explicare, ut medicus in determinandis & eliciendis indicationibus Empiricorum more non progrediatur. Unde Hip. lib. de præcept. ‘ Laudo inquit, ratiocinatio-‘ nem modo ex iis quæ ſenſus comprehen-‘ dunt, aut experimenta oſtendunt, naſca-‘ tur, & rité ex his quæ comparent, con-‘ cluſiones colligat. Quod ſi legitimâ induc-‘ tione non procedat, verum ex opinionum ‘ commentis proficiſcatur; moleſtias & gra-‘ ves difficultates affert.

‘ Et de priſcâ medicinâ differens ſimiles eſſe ‘ complures medicos aſſerit imperitis navium ‘ gubernatoribus, quorum, dum tranquillo ‘ mari & ſecundis ventis vehuntur, non depre-‘ henditur artis inſcitia; at ſi forté gravior ‘ cælum contraxerit tempeſtas, conſtat mox ‘ illorum culpâ factum eſſe naufragium. ‘ Cognoſcendas eſſe primúm docet rerum fa-‘ cultates, non fingendo, aut excogitando, ‘ ſed vires quas in noſtrum corpus habent ‘ & exercent, inveniendo; in quo tum hu-‘ morum affectiones, tum partium figuras ‘ perpendere oportet, &c.

‘ Et

‘ Et epidem. lib. primo mederi oportere dix-
‘ it Hip. & communia & propria intuentem.

‘ Undé Celſus in præf. ſic habet. Rationa-
‘ lém puto eſſe debere medicinam; inſtrui
‘ vero ab evidentibus cauſis, obſcuris omni-
‘ bus non à cogitatione artificis, ſed ab ipſâ
‘ arte rejectis.’

Hinc *Pythagoras*, *Empedocles*, & *Democritus* qui prima poſuerunt ante *Hippocratis* tempora ſaluberrimæ artis fundamenta, *theoriæ medicæ* ſtudium commendarunt, ut patet ex felici illo quem in philoſophiâ mechanico mathematicâ fecerunt progreſſu.

Et magnus quidem ipſe *Hipp.* in epiſtolâ ad *Theſſalum* filium numerorum & Geometriæ ſtudium acriter commendavit ad cognitionem & utilitatem omnium, quorum uſus in medicinâ expetitur, conſequendum.
‘ Et in lib. de aere, aquis & locis aſtronomiam
‘ ipſam non minimam partem, ſed plurimam
‘ ad rem medicam conferre affirmat. Quo-
‘ niam uná cum temporibus, & ventriculi in
‘ hominibus mutantur, et petereá tempo-
‘ rum mutationes & aſtrorum ortus & occaſus
‘ obſervare præcipit. Unde quamadmodum
‘ ſingula horum eveniant, prænoſcere facilé
‘ medicum aſſerit loco citato. Utique et de an-

‘ no qualis hic ſit futurus; hoc namque modo, ‘ ſi quis rimatus fuerit ac præcognoverit tem- ‘ porum occaſiones; maximé de ſingulis ſciet, ‘ & ut plurimum ſanitatem adſequetur, & ‘ rectâ viâ procedet, non minimâ artis ſuæ ‘ gloriâ.’

Et in lib. de flatibus, de aeris naturâ diſſerens medicorum princeps, poſtquam varios hujus elementi uſus ſtrenué inculcaverit. ‘ Vides ergo inquit, ex his, quæ dixi, quan- ‘ ta communio omnibus animantibus in fru- ‘ endo aere exiſtat. Subjiciam igitur mox & ‘ illud, quod non aliundé unquam veriſimile ‘ ſit morbos evenire, quam indé, quod is ‘ aut plùs, aut minùs, aut cumulatior, aut ‘ morbidis ſordibus inquinatior in corpus ſe ‘ ingerat, & paulò poſt ſic ait. Differt cor- ‘ pus à corpore, natura à naturâ, & nutri- ‘ mentum à nutrimento: non enim omni ‘ animantium generi eadem aut non confe- ‘ runt, aut commoda ſunt; ſed ſunt alia aliis ‘ magis convenientia, &c.’

Et lib. 1. de Diætâ ſic pergit ‘ Porro eum ‘ qui de victu humano ſcripturus eſt, cenſeo ‘ primúm quidem totius hominis naturam ‘ noſſe, ac dijudicare oportere. Noſſe qui- ‘ dem ex quibus ab initio conſtitutus eſt, di- ‘ judicare vero quæ in ipſo partes dominium ‘ obtineant: ſi enim conſtitutionem ab initio

‘ non

'non cognoſcet, et id quod in corpore 'dominatur; non poterit ea, quæ homini 'conducunt offerre. Hæc igitur ſcripto- 'rem cognoſcere oportet. Deinde vero ci- 'borum, ac potuum omnium, ex quibus 'victum habemus, facultatem quam tan- 'dem ſingula habeant et ſecundum natu- 'ram, et ſecundum neceſſitatem, ac artem 'humanam: oportet enim ſcire, quomodo 'fortium naturâ vim detrahere oporteat, 'et quomodo debilibus robur per artem ad- 'dere oporteat, pro ut ſingulorum occaſio 'ſe obtulerit. Et paulo infra, ſed et aſtro- 'rum ortus, et occaſus cognoſcere oportet, 'quo mutationes, et exceſſus ciborum, 'ac potuum, et ventorum, et totius 'mundi, ex quibus ſane morbi hominibus 'oriuntur, obſervare ſciat.

Et in pluribus locis vim materiæ attract-ricem, Neutonianæ philoſophiæ fundamentum ab *Hippocrate* et *Galeno* admiſſam et propugnatam fuiſſe perhibetur, ut videre eſt in tractatu de purgantium medicamentorum facultatibus et operandi modo. Et *Gal.* vim attractivam in naturâ contra *Epicurum*, *Aſclepiadem*, *Eraſiſtratum*, et alios in libro de naturalibus facultatibus acritér defendit.

Ex his, et innumeris aliis veterum medicorum ſcriptis luculenter apparet theoriam

medicinæ ſolidam, doctam, et in ſectionibus corporum et experimentis mechanico phyſicis fundatam ab omni ævo fuiſſe excultam, et a viris in praxi medicâ excellentibus magnopere laudatam. Unde praxis et theoria duo videntur eſſe medicinæ fulcra, quorum alterutro deficiente, corruat, aut ſaltem claudicet medicina, neceſſé eſt.

Hinc theoria ſolida et praxis ita intimâ unione conſociari deſiderant, ut ſine junctis illarum viribus, nemini felices in medendo ſucceſſus expectare liceat; unde in vanum expectabit etiam certæ theoriæ expertiſſimus, hiſtoriam et ſtabilia dogmata morborum curativa acquirere, qui hæc inſupér novis et ſibi propriis exercitationibus non confirmaverit. Et qui de praxi per theoriæ regulas unicé judicaverit, aut unam cum alterâ injurioſé confundet; univerſam pené artem conturbabit, et pernicioſis erroribus anſam dabit incerdibilem.

Ad praxim enim pertinet morborum hiſtoriam abſolvere, de adhibendis remediis, et explendis indicationibus judicare, et graviora quæque curationem morborum ſpectantia per experientiæ leges examinare. Unde græcorum in praxi fælicitas non aliundé provenifſe videtur, quam ab immortali illâ in

ob-

obſervando patientiâ, et ſagacitate quâ ſingulos hiſtoriæ morborum calculos, non timidé, et per vices, ſed ordine gravi, atque maturo expendere decreverunt.

Naturæ autem, atque coacervatæ experientiæ lumen cum ſit conſtans, obſervationes illis ſuperſtructas pariter conſtantes eſſe oportet. Huicque methodo inſiſtens magnus Hip. de naturâ, naturam potiús, quam proprias conſuluit cogitationes, et medicis omnibus ſolida medendi fundamenta, ſingulari quâdam et vix imitandâ ſagacitate aperuit.

Perbrevis *Hiberniæ* Hiſtoria.

HIBERNIA regnum eſt inſulare mari ex omni parte circumdatum; atlantico et Vergineo ad auſtrum et occaſum; Hibernico et Caledonio ad ortum et ſeptentrionem munitum. Occidentalibus et auſtralibus ventis multo frequentiús, quam orientalibus, aut borealibus perflatur. Vere tamen et circa æſtatis initium hi, iſtis ut plurimum frequentiores occurrunt.

Diuturnioribus hinc imbribus hæc ſæpius diluitur inſula, quæ in locis præſertim planis, et montium pedibus ſatis fertilis eſt, frumentis omnis generis, paſturis quoque egre-

egregiis, et medicinalibus herbis abundé ditata. Amnibus permultis, amænis, et ſatis amplis in mare ut plurimum terminantibus donatur.

Variis in compluribus locis aquarum collectionibus, intra determinatos nunc majoris, nunc minoris extenſionis alveos, contentis inſignitur, quæ quidem collectiones ſive aquarum ſtagna, et flumina prædicta ingenti piſcium omnium fluviatilium copiâ abundant : nec intereá deficiunt ad ſupplendam diætam piſces marini omnigeni.

Paludibus, ſublimibus montibus, nemoribus, et ſylvis variis in locis, hinc illinc diſtinguitur. Unde volucrium omnis feré ſpeciei, leporum, cuniculorum, et ferinæ quantitas eximia luxuriatur.

Immenſo quidem boûm, ovium, aliorumque pecorum omnium numero ditatur. Et mercimonia quæ in exteras regiones commercii ſuſtentandi cauſâ tranferri ſolent, præcipua numerantur caro bubula, et porcina, coria, butyrum, pinguedo, lana, et multiplicis generis lintea.

Mineris variis ferri ſcilicet, argenti, plumbi, cupri, corbonum, &c. locupletatur. Fructuum quoque et apum abundantiâ gaudet.

gaudet. Hinc liquoris pomacei, vinorum factitiorum, et hydromel affluentia haud vulgaris.

Inſulæ longitudo ad 260, latitudo autem ad 160 aut circiter milliaria extenditur. Vilioris plebis et pauperiorum incolarum hujus regni diæta majori ex parte prava eſt, et tenuis: vegetabiles enim radices illæ tuberoſæ, (Battata aliter dictæ) ab equite aurato Gualtero Raly ex Indiâ occidentali, ut mihi relatum eſt, in hanc regionem olim tranſlatæ præcipuam et principalem hujus partem conſtituunt.

Cum vero hæ radices ab atrociori gelu (quod quandoque fieri ſolet) corruptæ puteſcant, calamitoſa hinc populo inferiori ſupervenit annonæ caritas, et inedia. Accedit inſuper a corrupti iſtius et pravi ſucci alimenti uſu pauperibus et viliori plebi luctuoſa morborum funeſtorum multitudo, indeque orta incredibilis ſtrages: ut in ſequentibus dabitur obſervandi occaſio.

Potus in Hiberniâ uſitatiſſimus eſt cereviſia plus minus, ſæpe vero neutiquám lupulata, vetula vel recens, fortior, aut tenuior, ex hordei fermentati ac in furno idoneo exſiccati dein commoliti decocto in aquis ut plurimum impuris, ſtagnantibus, et mineranera-

neralium diverſorum particulis impregnatis, vel ſalinoſis parato, conflata ; cujus frequentior uſus ob braſiatorum quorundam in cereviſiæ coctione incuriam et aſtutiam, qui ſolinoſis, aut impuris iſtis aquis lucri cauſâ utuntur, multorum morborum acutorum, et chronicorum ſtabilia ponit fundamenta, non ſine opportuno ſalutaris artis adjumento, labore indefeſſo, et auſterâ abnegatione ſui, deinceps forſan diruenda.

Vinum hâc in regione ditioribus ſaltem ſatis familiare eſt. Præcipué gallicum, Hiſpanicum, et Liſbonenſe. Aquis mineralibus chalybeatis, vitriolicis, aluminoſis, aliquantulum ſulphureis, Et calcis particulis impregnatis diverſa inſulæ loca ſcaturiunt : hæ variis in morborum chronicorum curatione explendis indicationibus optimé ſatisfaciunt, iiſque ſubjugandis efficacia præbent remedia.

Diæta ditiorum luxurioſa eſt ; é numeroſis quippe carnium et piſcium ſpeciebus quâvis anni tempeſtate præcipue conſtat, quibus illi nimis liberé, et ad ſatietatem communitér veſcuntur. Vino interim et liquorum ſpirituoſorum uſui haud raro intemperanter indulgent.

Hiberni

Hiberni ut plurimum ſunt fideles, ingenioſi, fortes, conſtantes, hoſpitales, laborum, et adverſæ fortunæ patientes; honoris, et famæ tenaces.

Magna illorum in hoſpitalitatem propenſio conſtans feré cauſa eſt, quòd ditiores luxuriosâ animali diætâ, vini etiam, et liquorum ſpirituoſorum intemperantiori uſu ſeſe frequentiús inebriari ſinant; ſolita, imo et neceſſaria exercitia ante ſenectutem deſerant; quietis et ſomni debitas horas pervertant; nocturno et inſalubri aeri ſe ſæpius exponendo, debitas per inſenſibilem perſpirationem evacuationes obſtruant et repellant. Hinc graviora animi pathemata; depravatæ coctiones; craſis ſpirituum enervata; ſolida laxata; fluida viſcida, et acria; vaſorum minimorum obſtructio, et criſpatura; viſcera obſtructa, et inflammata; diatheſis ſcorbutica; hypochondriaca; et infinita alia mala oriuntur.

Aer híc, reſpectu habito ad calorem et frigus, ſatis temperatus eſt. Raró enim, licet hoc etiam aliquando evenerit, in prædictis modum excedit. Humidus tamen ob ſitum inſularem, et nebuloſus in peculiaribus præſertim inſulæ locis obſervatur; licet ab Anglicano aere, præcipue in auſtra-

libus hujus inſulæ partibus, non valdé differre videatur: cum utraque regio ex æquo inſularis ſit, et pares feré numerentur *Corcagiæ*, et *Londini*, latitudinis ſive ab æquatore diſtantiæ gradus,

Obſervandum tamen eſt aerem Dubliniensem Corcagienſi longè craſſiorem, humidiorem, et nebuloſiorem eſſe; Undè *Dublinii* tuſſes catharrales multò frequentiores, et magis epidemicæ ſunt hyeme, et autumno; imò et aliis omnibus anni temporibus, quam *Corcagiæ*. Hujus diſcriminis ratio mihi videtur petenda, non ex eo ſolo, quòd Metropolis hæc noſtra ab æquatore gradu feré uno magìs diſtet quam *Corcagia*; ſed quòd inſuper major carbonum quantitas comburatur *Dublinii*, quàm corcagiæ; et quòd inibi etiam frequentiores ſint variorum artificum officinæ; quòd præterea variæ metropolis partes, a circumeuntibus fluxibus in propriis alveis continuò circulantibus non ita feliciter diluantur aut depurgentur, ac fiunt *Corcagiæ*: ob diverſum nempe utriuſque urbis, et fluminum tranſcurrentium ſitum, et ramificationem.

Aer autem campeſtris et ruſticanus, hìc admodum in pleriſque locis purus eſt, et minùs inſalubris. Gravitate tamen et vi elaſticâ, aeri plures *Continentis* regiones circumfluent

enti cedere videtur, ob ſitum inſularem ſupra deſcriptum.

Aquis puris, levibus, in uſum humanum ſatis aptis, et ſalubribus noſtra hæc abundat inſula; Qui igitur impuris, aut ſtagnantibus, vel ſalinoſis aquis utuntur; magìs ex incuriâ et ſocordiâ, quàm ex rei neceſſitate in fatales hujuſmodi errores incidunt.

Corcagiæ Situs.

CORcagia urbs populoſa, totius Hiberniæ regni ſecunda, ſuper inſulas naturâ paludoſas, inundationibus ab æſtus marini curſibus ortis olim obnoxias, dimidiâ aut circiter ſui parte conſtructa eſt. Variis fluvii ſaurani (Anglicè) *River Lee)* propaginibus, in propriis & diſtinctis alveis continuò fluentibus, cum aquis marinis æſtus tempore commixtis, hæ inſulæ circundantur.

Verſus orientalia & occidentalia hujus urbis extrema, quædam adhuc reſtant prata paludoſa ædificiis vacua, quæ canalibus, & foſſis hinc inde circumſciſſis diſtinguuntur. Hæc majores ſaltem marini æſtus conſtanter inundant; herbâ licet & frumento ſatis fertilia obſerventur.

Sauranus verò ortum habens campeſtrem & ruſticanum, compluria verſus occidentem corcagiâ diſtantem milliaria, per loca campeſtria, ſicca, & amœna, ab utrâque ripâ variis ædificiis eleganter ornata, unico & proprio alveo contentus progreditur, donec ad urbem propius accedat; tunc vero brachiis, & propaginibus explicatis, prædictas inſulas circundat; Truncus interea cum maximâ aquarum mole proprio alveo contentus, urbem verſus orientem tranſcurrit; quâ demum emensâ, rejunctis iterum & reunitis membris, in mare exoneratur. In valle inter auſtrales & boreales montes ſita eſt urbs; Hinc ventis ab oriente, & occidente, apertiùs objicitur.

Ab auguſto ad decembrem uſque menſem, magna quotannis fit in hâc urbe pinguium pecorum, Boûm ſcilicet, & porcorum ſtrages; quorum carnes ſale conditæ, coria, & pinguedo, ut ſupra obſervatum eſt, in varias Europæ, & Americæ partes transferuntur. Multis interea carnibus veſcuntur his anni menſibus viliores incolæ, quia ob majorem copiam viliori pretio veneunt. Hinc ad borealia & auſtralia ſuburbia, lanienæ ſive carnaria multa conſtructa ſunt, quæ præfatis menſibus, excrementis fætidis, & ſanguinis putrefacti copiâ abundant; Hæc in

ſaura-

ſauranum ſubjacentem per collium declivitatem, inſtante ſaltem notabili pluviâ delabuntur: indeque per quotidianos fluxus & refluxus marini motus, depurgato & diluto alveo magno quidem & incredibili incolarum emolumento, in mare deferuntur.

Quod ſi aliter eveniſſet; nec præterea peculiari Dei omnipotentis providentiâ ſalubribus ab occidente flatibus, qui per quadraginta ad minimùm milliaria ſuper valles & montes campeſtres excurrunt, poſtquam oceano valedixerint, tetri hi vapores, exhalationes, ac miaſmata, à corruptione animali & carbonum fumo orta, atmoſphæram urbanam inquinantia verſus orientem difflarentur; credere fas eſſet urbem hanc fore omnium, quotquot ſunt in hoc regno minùs ſalubrem, & rarò ferè aut nunquam, à morbo aliquo epidemico contagioſo futuram immunem.

Cum vero per ineffabilem ſummi rerum opificis benevolentiam evenerit, ut eo præciſé anni tempore, quo excrementitiæ corruptiones & impuritates prædictæ atmoſphæram urbis contaminant, frequentiores & fortiores ab occaſu adveniant flatus, a quibus corcagienſis atmoſphæra debitè ventilata mirum in modum agitatur & depuratur; dum eodem ipſo tempore per diurnos, & continuò

recur-

recurrentes marinos æſtus, ſordes & excrementa prædicta eluuntur & abripiuntur; Quem quidem felicem adhuc eventum turgeſcentia pariter fluvii ſaurani, à frequentiori eâ anni tempeſtate pluviâ ſæpius orta haud parum promovet; Nec minùs intereà confert, quòd menſibus Octob. Nov. & Dec. quo anni tempore hæc ſtrages maximâ ex parte perficitur, ſole tunc verſus tropicum capricorni recedente, calor cæli ad ſubitaneam nimis putrefactionem, ejuſque exhalationem, aut evaporationem, neceſſarius deficiat.

Has inquam ob cauſas, (experientia & coacervatâ obſervatione teſtibus) *Corcagia* prædictâ anni tempeſtate aliis hujus inſulæ urbibus, nec ſanitate nec ſalubritate ut plurimum cedit.

Secùs autem eveniſſet, ſi à prædictis cauſis ortum duxiſſent morbi illi, quos Endemios epidemicos Corcagienſis urbis vocat quidam clariſſimus author, in illo quem anno 1734, de his morbis edidit tractatu. Si enim ad hujus authoris mentem, hi morbi à cauſis jam memoratis ortum habuiſſent; conſtantes certe illi & quolibet anno invadentes obſervarentur: cum conſtanter & ſingulis annis cauſæ memoratæ incolarum ſcilicet diæta, magna pecorum ſtrages, corrupta & putrida excrementa hinc emanantia, idem fermé

cæli

cæli ſtatus quoad pluvias, & nebulas; idem urbis, ſaurani fluvii, & collium adjacentium ſitus; et eædem ferè læſæ tranſpirationis occaſiones his menſibus ſubſiſtant quotannis, & recurrant.

Cum verò apud ipſum in confeſſo ſit, epidemicos prædictos morbos quovis anno non vigere; quinimo per plures ſucceſſivé annos eoſdem penitus diſparere obſervaverit; ſequitur evidenter magis adæquatam, & aliquatenus diverſam horum morborum cauſam & occaſionem eſſe ſtatuendam ab illâ, quam ſibi ingenioſé formavit præfatus author; aliam quoque conſequenter medendi methodum ab illâ, quæ ejuſmodi cauſis minùs diligenter examinatis ſuperſtructa fuit, adhuc deſiderandam eſſe, et ſedulò inveſtigandam.

Fateor equidem ob cauſas & occaſiones antedictas, aerem iſtam urbem ambientem gravitate & vi elaſticâ, pluvioſo præcipué & nebuloſo cælo, quod in hâc quidem regione non ita infrequens eſt, aeri complures continentis plagas ambienti gradu aliquo inferiorem eſſe; In confeſſo quoque habeo ſordes iſtas ab annuâ illâ pecorum ſtrage ortas, imo & effluvia à variis artificum officinis et carbonum fumo manantia, atmoſphæram aeris urbani minùs puram reddere; ac proindè plures eò loci morbos fore, et

et curatu forſan difficiliores, quam in locis aere puro, perflatili, ruſticano, et campeſtri donatis.

Prædictarum tamen cauſarum vim et acumen, à fluxibus maris alternis, à ventis ab occaſu frequentiùs flantibus, et à cæteris jam ante obſervatis mirum in modum minorari, et retundi contendo. Neque profectò ulla ferè civitas populoſa in regione ſaltem inſulari, à præfatis magnâ ex parte incommodis mihi videtur immunis.

Compertum ſatis habeo nec *Londinum*, ubi elegantes, et fidas ſuas de morbis epidemicis condidit obſervationes ſolertiſſimus, et ſagaciſſimus *Sydenhamius*; nec *Dublinium noſtrum* à jam memoratis morborum occaſionibus liberari.

Neque veritati conſonum videtur, atmoſphæram Londinenſem prædictis feré omnibus incommodis, et adhuc pluribus, quæ enumerare haud quidem eſſet difficile, abundanter ſcatentem, et æquales feré latitudinis gradus agnoſcentem, Ita immaniter ab aere corcagienſi diſtare, ut quæ *Londini* occurrant febres, aut variolæ epidemicæ, pro diverſis annorum conſtitutionibus diverſam aliquatenùs indolem, et medendi methodum agnoſcant; (teſtante optimo poſt Hip-

Hippocratem obſervatore, ſolertiſſimo ſydenhamio) quæ vero corcagiæ per continuatam xxv. annorum ſeriem à recenti prædicto authore obſervarentur febres, aut variolæ epidemicæ, diverſis annorum conſtitutionibus recurrentes, unâ eâdemque indole conſtanter gaudentes, non tantum unam conſtanter et eandem ſemper medendi methodum agnoſcant; ſed eam quoque à feliciſſimâ quâcunque methodo, Londini quâvis anni conſtitutione obſervatâ, toto cælo diſtantem neceſſario requirant.

Morborum igitur epidemicorum corcagienſium cauſa adæquata, nec ab urbis ſitu, pecorum ſtrage, incolarum diætâ, aut ſenſibilibus aeris qualitatibus mihi videtur deſumenda, ob rationes ſuperius allatas: ſed potius in occultam aliquam aeris diatheſin, à variis mineralium in terræ viſceribus fermenteſcentium effluviis, ut et à diverſis ſyderum cæleſtium motibus, et influentiis oriundam, merito refundenda. Quanquam à prioribus cauſis, ſicut et à ſex rerum non naturalium abuſu, corpora humana ad prædictorum morborum generationem, mirum in modum diſponi, et aptari non dubitarem.

Hinc clariſſimus *Sydenhamius* de morbis epidemicis diſcurrens ſic loquitur. ‘ Quamvis autem diverſas diverſorum annorum ha-

'bitudines quoad manifeſtas aeris qualitates 'maxima, quâ potui, diligentiâ notaverim, 'ut vel exindé cauſas tantæ epidemicorum 'viciſſitudinis expiſcarer, me tamen nihi- 'lum quidem hactenus promoveri ſentio; 'quippe qui animadverto, annos quoad 'manifeſtam aeris temperiem ſibi plane 'conſentientes, diſpari admodum morbo- 'rum agmine infeſtari, et vice versâ. Ita 'enim ſe res habet. Variæ ſunt nempe an- 'norum conſtitutiones, quæ neque Calori, 'neque frigori, non ſicco, humidove or- 'tum ſuum debent, ſed ab occultâ potiús 'et inexplicabili quâdam alteratione in ipſis 'terræ viſceribus pendent, unde aer ejuſ- 'modi effluviis contaminatur, quæ huma- 'na corpora huic aut illi morbo addicunt 'determinantque, ſtante ſcilicet præfatæ con- 'ſtitutionis dominio. Hæc ille.

Et *medicorum Romulus* in lib. de aere, aquis, et locis, ut ſuperius dictum eſt, aſtro- nomiæ ſtudium commendat: quia pluri- mum ad rem medicam et mutationes tem- porum cognoſcendas conferunt obſervationes circa ortus et occaſus ſyderum. Aſtrorum quoque motus notitiam, ad obſervandas totius mundi mutationes ex quibus morbi homini- bus oriuntur, neceſſariam eſſe affirmat li- bro primo de diætâ.

Unde

Unde doctiſſimus et expertiſſimus medicus *Richardus Mead*, S. R. S. cæleſtium ſyderum vires in corpora humana mechanicé demonſtravit, in elėganti illo quem de imperio ſolis et lunæ Londini edidit tractatu. A quorum viribus et influentiis non tantum complurium morborum cauſas, ſed varias inſuper aeris et ventorum motus evidenter deduxit.

Idem clariſſimus vir libro jam citato ſic pergit. ‘ Morborum quoque complurium ‘ acceſſiones et circuitus a lunæ viribus pen- ‘ dere ab omni ævo crediderunt antiqui. ‘ Imo quoſdam eſſe qui ſoli aſtrorum in- ‘ fluxui originem ſuam debeant teſtimoniis ‘ ſuis comprobarunt. Qui enim inter illos ‘ hiſtorias morborum populariter graſſan- ‘ tium, ultimi ſcripſerunt, hi omnes toti ‘ ſunt in enumerandis corporum cæleſtium ‘ motibus, et influentiis. Hæc ille.

Innumera ſunt quæ ad hanc veritatem ulterius confirmandam citare poſſem clariſſimorum virorum teſtimonia; quæ tamen, cum jam recenſita ſufficiant, brevitatis causâ omitto.

Obſervari tamen debet ſenſibiles aeris qualitates ad illas quidem febres producendas favere, quæ in quâlibet conſtitutione ſe exerunt, et intercurrentes a ſydenhamio vocantur ; non verò ad alias iſtas, quæ certæ alicui conſtitutioni propriæ ſunt ac peculiares, et epidemicorum nomen merentur.

Epidemicorum alii quoque hoc aut illo anno regulariter et eodem ſemper modo ſe habent. Iiſdem plané phænomenis et parili ſymptomatum feré agmine ſtipati, eâdem ſimiliter methodo recedentes, et in ſuo genere perfectiſſimi obſervantur. Alii vero aliorum annorum epidemici per quam anomali et irregulares perhibentur ; et hoc diſcrimen (teſte ſydenhamio, et obſervatione a me ſæpius pariter repetitâ) exinde oritur, quod quævis conſtitutio morbos pariat, a morbis ejuſdem generis, qui in diversâ conſtitutione graſſabantur, multum abludentes : quod non tantum in febribus ſed in pleriſque aliis epidemicis locum habet. Imo et eoſdem morbos epidemicos febres v. g. et variolas unâ eâdemque anni conſtitutione ſæpè a ſe invicem ita diſcrepare, ut diverſas haud rarò curativas indicationes in diverſis ægrotantibus ſubminiſtrent, poſt clariſſimum ſydenhamium, repetitâ ſæpius experientiâ comprobavi.

Qui

Qui verò morbus circa æquinoctium autumnale cumulatiſſime furit, totius anni conſtitutioni nomen impertit ſuum, et aliorum morborum hujus anni dominio potitur; ita ut illo augeſcente, hi imminuantur, et vice verſa. Unde principatum obtinet omnium morborum, qui iſto anno invadunt; cum ejus, ingenio ſe accomodare obſerventur, in quantum patitur illorum natura. Obſervavit pariter Clariſſimus Sydenhamius, quoties conſtitutio aliqua varias epidemicorum ſpecies parit; ſingulas has ſpecies genere ab illis differre, quæ cum idem plane nomen ſortiantur, aliâ tamen conſtitutione generentur. Et quod pariter quotcunque ſint ſpecies illæ peculiares, quæ in unâ eademque conſtitutione invadunt, in communi unâ atque generali causâ ſingularum productrice omnes conveniant, hâc ſcilicet aut aliâ peculiari aeris diatheſi; et ex conſequenti, quantocunque ab invicem, quoad typum et formam ſpecificam, intervallo diſtent, conſtitutio tamen, omnibus communis ſubjectam ſingularum materiam ad ejuſmodi conditionem effingit, ut præcipua ſymptomata quæ ad particularem evacuationis modum nihil attinent, omnibus paria ſint, et communia.

Ex ſupradictis igitur rationibus, tot clariſſimorum virorum authoritate, et coacervatis

tis obſervationibus manifeſté apparet, morbos epidemicos urbis corcagiæ à contagioſis mineralium è terræ viſceribus erumpentibus effluviis, ex multiplici horum corporum colliſione, fermentatione, et ebullitione formatis, et atmoſphæram iſtam contaminantibus, a motu et influentiá ſyderum cæleſtium diverſis, occultas aliquando, et inimicas aeri impreſſiones, et mutationes inferentibus, aut denique ab unitis et conjunctis harum cauſarum viribus præcipué et principaliter ortum habere.

Et quoàd medendi methodum ab authore ſupra laudato, ad debellandos corcagiæ epidemicos excogitatam, cum mihi né vel minimus quidem ſit altercandi animus; invitus tamen cogor ab illo aliquantulum diſſentire. Quandoquidem conſtanti et coacervatâ, per xxv. aut circiter annorum ſpatium, factâ circa morbos epidemicos obſervatione ſedulâ, tum corcagiæ, tum in locis adjacentibus edoctus, præfervidi regiminis nec in febribus epidemicis, nec in variolis, aut morbillis, felicem unquam eventum obſervavi. Quinimò multa quidem et inſignia a tali methodo incommoda provenientia, et ipſe propriis occulis ſæpé vidi; et ab aliis experta accepi. Neque hoc mihi mirum unquam videbatur; cum praxis iſta tam ſolidæ theoriæ, quam irre-

irrefragabili experientiæ contraria perhibeatur.

Febris namque epidemica quid aliud eſt, quàm ſolennis naturæ machina, quâ ipſa natura partes heterogeneas, inimicas, & contagioſas, in ſanguinem admiſſas ſegregare, & concoquere; concoctas verò, per convenientia magìs, & opportuna loca, è corpore eliminare ſatagit?

Natura ergo, humorum maſſam variè agitando, propellendo, comminuendo, terendo, & dividendo, in hoc officio & opere perſiſtit, dummodò ab officioſo aliquo non divertatur; donec particulæ iſtæ inimicæ, (qualiſcunque ſint figuræ aut molis,) quæ motum ſanguinis progreſſivum imminuunt, fermentativum autem a variis attractionibus, & elatere ortum adaugent, (fluidorum lentore, & viſciditate, à repetitis canalium ictibus tandem ſublatis,) penitùs ſubigantur; hæque è maſſâ ſegregatæ, ad vaſorum latera verſus emunctoria detrudantur; perque glandulas cutaneas, renales, ſalivales, aut inteſtinales, pro variâ illarum aptitudine, a naturâ eliminentur; vel, quod ſæpè evenire non dubitarem, donec ab eâdem ita digerantur, & alterentur, ut ſanguini penitùs tandem congruæ, unam eandemque, abſque vel minimo partium divortio, omnes conſtituant

ſtituant maſſam temperatam, ſalutarem, & animalis oeconomiæ requiſitis accommodatiſſimam; vel iterùm, donec morbificæ hæ particulæ ita coquantur & præparentur, ut per cutis ſpiracula, abſque ullius inſolitæ ſenſibilis evacuationis interventu, diſſipentur; aut demùm ad corporis ſuperficiem, ſub diverſæ ſpeciei exanthematum formâ protrudantur; vel alitèr, (ſuccumbente præcipuè, & a morbi ferociâ, ac malignitate, penitùs evictâ naturâ) in varia viſcera nobiliora, Criſi funeſtâ conjiciantur.

Cum verò hos naturæ conatus, nullâ aptiori methodo ſuſtinere, aut promovere valeat medicus, quàm debito æquilibrio, ſolida inter & fluida, quantum fieri poteſt, reſtituendo, & legitimum ſanguinis circuitum promovendo; hinc ſequitur præcipuam in febribus tractandis medici intentionem eò præcipuè collimare debere, ut, ſatagente nimìs naturâ, ſanguis non ita excandeſcat, ut, omnibus in confuſionem actis, & ſolidis ob hanc rationem præter modum irritatis, & criſpatis, timendum ſeriò ſit, nè metaſtaſi humorum in viſcera nobiliora hinc factâ, lethales ſubitò harum partium inflammationes, & ſphacelationes ſuperveniant; nec ita torpeat, aut langueſcat, ut ſecretiones omnes, præcipuè verò liquidi nervoſi, obſtruantur, aut diminuantur; hincvè ſolida nimìs laxata ultra modum flacceſcant;

undè

undé fermentationes vitioſæ, et putrefactiones periculoſæ exoriantur, naturaque præparandæ, et concoquendæ materiæ morbificæ inepta penitùs ſuccumbat.

Hic verò ſcopus ſequentibus felicitèr modis attingitur in febribus hiſce, quæ nullâ peculiari exanthematum, aut particularis inflammationis ſpecie diſtinguuntur; reſpectu tamen diligenti præ occulis ſemper habito, ad diverſas diverſorum annorum conſtitutiones.

Primò, In morbi initio evacuationes debitas, ſi tamen rité indicentur, per lene emeticum, enema emolliens, et venæ ſectionem opportunam inſtituendo.

Secundò, Naturæ motus diligenter obſervando, pauca remedia præſcribendo, ad juvantia et lædentia diligenter attendendo, cauté, et patientèr procedendo, multum naturæ tribuendo, & ſæpe nihil omnino tentando.

Tertiò, Ad omnes morbi circumſtantias ſerió animum applicando, et ad anni tempus, ad ætatem, ſexum, vires, temperamentum, diætam, conſuetudinem, aeris qualitates, morbos hereditarios, vel longo rerum non naturalium abuſu acquiſitos, habitum corporis vel ſanum, vel morboſum, macilentum, gracilem, aut carnoſum, Solidorum majorem vel minorem

nativum elaterem, ſanguinis & ſpirituum animalium majorem vel minorem à naturâ firmitatem, ad animi pathemata, ad cæterarum rerum non naturalium uſum magis vel minùs temperatum, ad diverſa illa omnia à quibus morbus invadendi anſam arripuit, ad varia morbi tempora et ſymptomata magis vel minus periculoſa, aut urgentia vel minùs uſitata, ad methodum ab initio ſive à medico, ſive ab ægroto vel nutricibus magis vel minus laudabilem uſurpatam, ad guſtum quoque ægrotantis, et alia omnia ad ipſum vel in minimis ſpectantia, præ cæteris verò ad diverſas annorum diverſorum conſtitutiones proprium et debitum reſpectum habendo.

Quartò, Sanguinem nimis furentem, acrem, et irritantem per diluentes, refrigerantes, et demulcentes liquores aquam ſcilicet hordei, ptiſanam, ſerum lactis, et emulſiones refrigerantes, per phlebotomiam et ſimilia diluendo, demulcendo, & temperando.

Quintò, Viſcidum, tenacem, aut grumoſum ſanguinem per ſerum lactis canarinum cum aquâ dilutum, per ſerum lactis cum ſucco limonum, aurantiorum, aut aceto optimo paratum, & alios hujuſmodi ſubacidos liquores, per nitrata remedia, et veſicatoria repetita,

tita, ac per cordialia temperata diluendo, dividendo, attenuando, et circumagendo.

Sextò, Solida nimis criſpata per hordeaceos et refrigerantes liquores, aquam ſcilicet hordei, ſerum lactis, et emulſiones; per fomentationes, balneationes, et anodina, ſit amen neceſſaria fuerint, laxando, emolliendo, et demulcendo.

Septimò, Laxata præter modum, per Epiſpaſtica, cordialia plus minùs temperata, et volatilia medicamenta, contrahendo, corroborando, et ad debitum tonum reſtituendo.

Octavò, Concocta tantum, et non cruda in morbi progreſſu, niſi tamen adſit humorum turgeſcentia, medicando.

Nonò, Spirituum plus juſtò efferatorum excandeſcentias, et oſcillationes ſolidorum graviores, per Clyſterum emollientium repetitas injectiones, per pediluvia, et ſuppedanea acria, per venæ jugularis, aut ſaphænæ ſectionem, quandoque etiam per paregorici exhibitionem, pro circumſtantiarum et conſtitutionis anni varietate, compeſcendo, revellendo, et in ordinem redigendo.

Decimò, Debitis ſignis coctionis apparentibus, medicamenta cordialia magis activa, et

victum paulò generoſiorem, pro rei naturâ concedendo.

Ultimò denique, morbi reliquias ſub finem debitis catharticis ſubtrahendo.

Quantumvis prædicta methodus generalis, pro diverſâ ægroti, et morbi indole, diverſâ annorum conſtitutione, et diverſis omnibus quibuſcunque quæ ad morbum, vel ægrotum attinent circumſtantiis, varianda, in febribus epidemicis urbis corcagiæ, et locorum circumjacentium, per jam dictum xxv. annorum curriculum, omnium feliciſſima à me obſervata fuerit; ut ex ſequentibus pagellis fuſiús apparebit, libet, tamen has noſtras obſervationes eminentiſſimorum virorum anthoritate ulterius confirmare.

Hipp. verbi causâ lib de victus ratione in morbis acutis. In feb. ardent. et aquam, et aquam mulſam aquoſam coctam, quantum, voluerit, ægro bibendum dare præcipit, et ſi amarum fuerit os vomere, et ventrem per clyſterem ſubluere ſuadet. *Et in eodem lib. differens de morbis acutis ſic loquitur.* ‘ Ubi tamen in his morbis ſuſpica-
‘ tus fueris aut capitis gravitatem vehemen-
‘ tem, aut mentis perculſionem, penitùs à
‘ vino abſtinendum eſt. Et aquâ in tali
‘ caſu utendum. Aut vinum aquoſum ; et
‘ album

'album penitùs dandum. Et penitùs inodo-
'rum, et poſt ipſius potum aqua modica in-
'ſuper bibenda, ita enim robur vini caput et
'mentem minús percellet.

Et in Lib. Cit. Pauca remedia et convenientia commendat. *Et lib.* vi. *de morbis popularibus ſectione ſecunda* hæc habet. 'Nihil
'temeré affirmandum nihil contemnendum.
'Contraria paulatim factâ acceſſione adhi-
'benda ſunt, et interquieſcendum. Et *in*
'*eadem ſectione L. C.* dilatare, conſtringere,
'alia quidem, alia verò non. Humores alios
'quidem expellere, alios verò ſiccare, alios
'autem indere, et aliâ quidem parte, aliâ vero
'non. Attenuare, craſſare corpus, cutem, car-
'nes, et alia : et aliqua quidem, aliqua vero
'non. Levigare, exaſperare, indurare,
'mollire alia quidem, alia non. Excitare,
'torpidum facere, et quæcunque alia hujuſce-
'modi. Derivare, ſubſedentia ſtatim re-
'vellere, renitentibus concedere alium hu-
'morem non prodeuntem ducere : prode-
'untem verò ſimul effundere, &c.

Et lib. de victus ratione in morbis acutis.
'At quibus in febribus vertigines ab initio,
'et capitis pulſus fiunt, et urinæ tenues,
'in his expectare oportet, ut ad judica-
'tiones febris exacerbetur. Nec vero ad-
'mirarer, ſi delirarent. Quibus in princi-
'pio

‘ pio urinæ nebuloſæ, aut etiam craſſæ ſunt,
‘ tales depurgare oportet, ſi etiam alia con-
‘ tulerint. Quibus verò in principio urinæ
‘ tenues ſunt, tales nè purgato, ſed ſi viſum
‘ fuerit, infuſum per Clyſterem adhibeto,
‘ hos ſic curare conducit. Æger corpore
‘ quietem agat, ungaturque, ac æqualiter
‘ contegatur. Potu utatur aquâ mulsâ a-
‘ quosâ, &c. alvum verò ab initio per
‘ Clyſteris infuſum ſubducito. Medica-
‘ menta autem his nè exhibeto. Si enim
‘ quid circa ventrem commoveris, urina non
‘ concoquitur, ſed abſque ſudore ac judica-
‘ tione, febris ad multum tempus durabit,
‘ &c.

‘ *Et. L. C.* Decumbere autem debet æ-
‘ ger in domo obſcurâ, et in ſtratis quam
‘ molliſſimis reclinatus eſſe, ita ut multo
‘ tempore decubitum in eodem loco tole-
‘ ret, et quam minimum ſe jactet. Hoc
‘ enim talibus maximè prodeſt.’

Et paulo poſt; quare animadvertendum
eſt medico, ‘ ut ne aliqua manifeſta cauſa
‘ ipſum lateat, neque ex his quæ ratioci-
‘ natione cognoſcuntur, neque ex his quæ
‘ ad numerum parem vel imparem appa-
‘ rere oportet.’

Hinc

Hinc naturam morborum acutorum medicatricem judicans *Medicorum Princeps*, de naturâ naturam conſuluit, et in praxi huic tantum incubuit, ut eidem laboranti quibus poſſet modis ſubvenire contenderet ; undè etiam non aliam arti demandat provinciam in morbis præcipué acutis pertractandis, quam ut deficienti naturæ ſuccurrat, effrenem coerceat, et in ordinem redigat; unde *et L. C.* venam ſecare præcipit ſi vehemens appareat morbus, et qui ipſum habeant in vigoris ætate fuerint, et robur ipſis affuerit. Si vero debiliores appareant, aut ſi multum ſanguinis detractum fuerit, infuſo alvi per Clyſterem tertio quoque die uti jubet, donec in tuto fuerit æger, aut etiam fame opus habeat.

Poſt ipſum ſagaciſſimus, et diligentiſſimus obſervator *Sydenhamius* eandem proſequitur methodum in aureo ſuo de epidemicis morbis tractatu, ut præ cæteris videre eſt in methodo medendi febrem illam continuam, quam depuratoriam vocat annor. 1661, 62, 63, 64.

Et *Clariſſimus mortonus de febribus epidemicis agens*, damnatâ prius officioſâ quorundam medicorum activitate, qui nullâ legitimâ urgente neceſſitate, venæſectione profusâ, opiatis, catharticis, vel emulſionibus,

bus, julapiis, et apozematis refrigerantibus calorem febrilem minuere ſatagunt, durante augmento, præſertim verò morbi ſtatu, vel criſi, haud impuné licet, nè febris indè, a nimiâ ſpirituum diſſipatione in malignam et funeſtam degeneret. Illos pariter non leviori cenſurâ proſequitur, qui, ut ipſius clariſſimi viri verba referam, ‘ Hypotheſi ‘ neſcio cui innixi, igne ignem extinguere ‘ moliuntur, dum paginam utramque in ‘ curatione febrium (cujuſcunque fuerint ge- ‘ neris) non exceptis inflammatoriis) cardia- ‘ cis, alexipharmacis, atque veſicatoriis in- ‘ diſcriminatim adhibitis complent, ac ſi oleo ‘ flamma eſſet ſūprimenda ; unde ægri in- ‘ cendio inteſtino, atque ſymptomatis ‘ inde ſuccreſentibus, haud rarò confecti, ‘ miſerrimé pereunt, qui forſan, debito ‘ regimine imperato, abſque hâc officiosâ ‘ ſedulitate prorſus evaſiſſent.

Et de variolis tractans idem mortonus ſic progreditur. ‘ Atque proinde medicum et ‘ philoſophum, quem ad rationis normam ‘ oportet ſua mandata ſemper dirigere, in ‘ hoc morbi ſtadio haud decet eandem ‘ ſemper calcare viam, atque, *Emperici* ad- ‘ inſtar, ſeſe intra eoſdem cancellos ubique ‘ continere, et *emetica*, *alexipharmaca*, *o-* ‘ *piata*, *venæſectionem*, *enemata*, &c. ordi-

‘ ne

'ne et methodo quâvis fixâ, et ſtabilitâ 'ſeriatím præſcribere, atque in eorum uſu 'pertinacitér ſine evidenti indicatione perſiſ-'tere; eſt enim ubì ſingula hæc remedia u-'ſum ſuum habent; eſt autem ubi valdé 'officiunt, aut ſaltem incaſſúm adhibita cu-'rationem nullatenús promoveant. In hoc 'igitur ſolertia medici maximé requiritur, 'ut certâ regulâ dirigatur, et nihil offici-'oſé patret, vel injurioſé omittat. At-'que ſane eó mágis hâc in re ſumma cu-'ra jam adhibenda eſt, quia in hoc præ-'ſertim ſtadio vitæ et necis jacta eſt alea, 'ſiquidem naturæ deficienti poſt criſin pe-'ractam incaſſúm ſubvenire ſæpius moli-'mur, quæ ſuppetiis opportuné priús alla-'tis, facilé admodum allevari poterat. 'Non raró etiam remediis perperam adhi-'bitis natura adeo labefactatur, ut venenum 'primo mite, illicò in gradum plane de-'leterium, et exitialem evehatur, et poſt 'criſin inde imperfecté, peractam, æger in 'ſtadiis ſubſequentibus erroris medici, vitæ 'diſpendio, vel ſaltem variis ærumnis ſeras 'luit pænas. Ad indolem igitur ac ſymp-'tomata morbi ante omnia medicus in hoc 'obſcuro morbi, ſtadio diligentér reſpiciat, 'oportet, et accuraté penſitet, nè quid phi-'loſopho indignum agat; et hâc regulâ ob-'ſervatâ non longé a vero ſcopo aberrabit.

O ſanum præceptum! O regula aurea! Solidæ doctrinæ Hippocraticæ innixa, veré doctum ab Empirico medicum diſtinguens, et in omnibus feré morbis præcipué vero acutis pertractandis, et curandis quam maximé uilis!

Sic et vaſorum vacuatio, ſiquidem talis fuit, qualis fieri debet, confert, et facilé ferunt, ſin minus, vice verſâ. Inſpicere itaque oportet regionem, et tempus, et ætatem, et morbos, in quibus convenit aut non. Dandum quoque aliquid eſt tempori, et regioni, et ætati, et conſuetudini. *Hip. in Aphoriſm.*

Et clariſſimus Mead in ornatiſſimo ſuo et perutili de venenis tractatu, poſtquam hos redarguerit medicos, qui neglectis cauſis morborum ſenſibilibus, et apparentibus, ad deleterium quid, ſive occulta venena refugientes, medicorum principem Hippocratem in ſuas partes abſque vel minimo fundamento trahere conantur; 'ulteriorem adhuc temeritatem eorum improbare videtur, qui in febribus epidemicis pertractandis, ex precariâ illâ, et male fundatâ, de venenatâ quâdam morborum causâ Hypotheſi, anſam arripiunt ſub ſpecioſo alexipharmacorum titulo talia medicamenta præſcribendi, quæ calorem vehementiſſimum

'in

'in ſanguine & ventriculo excitant. Di-
'ligentiſſimè præmonens, nè, dum malig-
'num hunc, aut venenatum, & ſuppoſiti-
'tium in ſpiritibus latentem hoſpitem ado-
'riantur; morbo inſigniores adhuc, & ma-
'gìs præpollentes vires adjiciant. Aut,
'quod idem eſt, ut caveant, nè, novos
'hâc præpoſterâ methodo excitando tumul-
'tus, nova pariter inducant mala, prioribus
'longè pejora: aut ſaltem machinæ omnium
'elegantiſſimæ momenta præpediendo, na-
'turæ motus, res maximi momenti, &
'criticas molientis, obſtruant, & pertur-
'bent.' Hæc ille.

Et certè felici febrium epidemicarum cu-
rationi, nihil magìs obeſſe videtur, quàm
præconcepta illa quorundam medicorum,
de morborum cauſis, opinio; hujuſque erro-
ris anſa; ab externarum corporis partium
in certis febribus frigiditate, & pulſus par-
vitate, avidiſſimè arrepta. Hinc enim illi,
recenſita jàm ſymptomata, à ſolâ ſempèr
viſciditate, & laxitate malignâ, aut venena-
tâ; nunquam verò à criſpaturâ fibrarum,
ab internis ad externas partes communicatâ;
(ut in inflammationibus viſcerum doloroſis
ſæpè fit,) oriri poſſe ſentientes; ingeminatis
alexipharmacis, vino canarino ſpeciebus cor-
dialibus incoctis condito, inſigni acrium veſi-
catoriorum numero, & continuato ſeri lactis
canarini potu, in omnibus ferè morbi

 ſtadiis,

ſtadiis, & diverſis aeris conſtitutionibus, ægros omni febre epidemicâ decumbentes, (juvenili ætate nè quidem exceptâ) ad venenatam jàm ſuppoſitam malignitatem ſubigendum, continuò laceſſendos ſentiant. Undè natura excandeſcenti hâc methodo præter modum irritata, aut materiam morbificam fortuito eventu concoquit, & eliminat; aut ab eâdem materiâ, addititiis hiſce flammis exacerbatâ (gangrænâ priùs viſcera inflammata occupante) penitùs confecta, inevitabili fato ſuccumbit.

Non diffitendum tamen, diætam luxuriantem animalem, ditioribus præſertim hujus regni incolis, ut ſuprà obſervavi, familiarem, ſitum quem poſſidemus inſularem, copioſis, quibus ſæpiùs diluimur, imbribus circumfuſum, cereviſiæ, & liquorum magìs ſpirituoſorum intemperatum frequentiùs uſum, pathemata animi aliquando graviora, calidi admodum, humidi, & frigidi aeris ſubitas & inconſtantes mutationes, indèque nata læſæ perſpirationis incommoda, ut & cæterarum denique rerum non naturalium abuſum, ad laxitatem quandam, præ aliis quibuſdam regionibus, in ſolida, viſciditatem etiam & lentorem in fluida, plùs minùs in genere introducendum, plurimum conferre.

Nec denegandum pariter, quòd á præfatis cauſis, & ab evacuationibus variis, nimìs pro-

trac-

tractis, aut præter naturam retentis, à triſtitiâ timore, amore, amicorum, bonorum, aut famæ jacturâ, vigiliis nimiis, et plus debito protractis, jejuniis, inediâ, ſtudiis, et curis immoderatis, nimio veneris uſu, exercitiis intemperatis, a nimiâ et longo tempore continuatâ liquorum ſpirituoſorum ingurgitatione, et hinc enervatis digeſtionibus, ac debilitato ſpirituum animalium tono, ab hyſtericâ, ſcorbuticâ, aut hypochondriacâ corporis diatheſi, vel a nimis proſtratis horum viribus qui a præcedenti aliquo diuturno morbo attriti ſunt, et a plùribus aliis hujuſcemodi occaſionibus febres oriantur purè nervoſæ, nullo non anni tempore, et quâvis anni conſtitutione intercurrentes, quæ quidem veſicatoriorum repetitorum, medicamentorum alexipharmacorum; et regiminis generoſi liberaliorem uſum, pro vario tamen ægrotantis, et circumſtantiarum morbum aut concomitantium, aut antecedentium genio, aptè ſatis efflagitant.

Ad hanc vero normam omnes omnino epidemicas febres quovis anno, et quâvis anni conſtitutione aut tempore graſſantes, a varietate licet et concurſu cauſarum plurimarum quantumvis multiplici, et diverſo oriundas componere, temerarium profectò videtur, et rationi, æque ac obſervationibus conſtantibus, et coacervatis penitùs contrarium.

rium. Nec medendi methodus talibus innixa principiis fauſtos unquam aut felices producet effectus; ut obſervationibus ſæpé ſæpiús repetitis conſtat.

Quamvis enim, ut ad mentem prædicti authoris, in quantum tamen res ipſa patitur, accedam; in pertractandis morbis ab omni inflammatione immunibus, ad ſolidorum nativam aut adventitiam plùs minùs laxitatem, et fluidorum viſciditatem aliquis merito reſpectus habeatur; ita ut iis in illis extremis peccantibus, indicationem legitimam et intentionem ſedulam, ad debitam in illis tenſionem, in his verò fluiditatem, in quantum patitur febris natura, reſtituendam præ occulis ſemper habeamus. Indé tamen omnes omnino noſtras indicationes in febribus pertractandis abſque ordine, menſurâ, vel medi-ocritate nimis præproperé et unicè deſumere, vel medendi methodum, ex hâc ſolâ occaſione præfervidam ſtabilire, ob duas haſce inſequentes rationes abſurdum nimis apparet, et penitús periculoſúm.

Primò, quia, morborum acutorum cauſa in fluidis præcipué ſubſiſtit; quæ ſi nimis viſcida ſint, principalis indicatio ad ſalium moleculas hujus lentoris cauſas diſſolvendum dirigitur: juxta monitum *Hip. magni*, qui prius quam corpora vel humores purgentur;

tur; ea fluida reddere præcipit. Fluidorum vero lentore, et viſciditate hâc methodo imminutis, ſolida (premente nimis pondere partim ſublato) ad debitam tenſionem et elaterem propiùs gradatim accedunt. Salium vero concretiones lentoris in fluidis cauſas ab aquoſis, quam a vinoſis et ſulphureis menſtruis feliciùs longè, et tutius diſſolvi manifeſtum eſt.

Secundò, quia in compluribus hujuſce modi febribus, viſceris alicujus particularis aliqualem ſaltem inflammationem conjunctam, et a methodo præfervidâ prædicta ſæpè ſuperinductam obſervavi; imo et in quibuſdam certæ cujuſdam conſtitutionis febribus epidemicis, majora ſæpe, et luculenta univerſalis ſanguineæ molis inflammationis indicia manifeſtè apparebant. In his igitur utriſque febrium epidemicarum ſpeciebus, quam infauſtum fuerit et lubricum, regimen illud juſto, et inuſitato calidius; judicet qui volet.

Quinimo et in ipsâ authoris ſuppoſitione, qui a ſolidorum nimià laxitate et fluidorum viſciditate cauſam eſſentialem magnæ ſuæ epidemicæ febris præcipue repetere videtur, contendo medendi methodum ab ipſo laudatam minùs convenire, cum enim ſuccorum lentorem ab exuberanti

ſalium

ſalium animalium et alkalinorum putreſcentium quantitate pendere non dubitaverit; quorſum, quæſo, tantam calidiorum medicamentorum, et vini canarini quantitatem ad fluiditatem coagulatis, a ſalibus hiſce numeroſis, humoribus reſtituendam, in uſum revocat? an non lentor iſte huic originem debet? quod ſalia iſta peregrina exotica, ſive a cauſis ab authore relatis, ſive quod longè magís veriſimile videtur, ab alterationibus in atmoſphærâ corcagienſi per varios ſtagnationis aeris et putrefactionis gradus, a variis ſyderum cæleſtium motibus, attractionibus, et influentiis, aut a variis effluviis è terræ viſceribus erumpentibus ortos, formata, vel per orificia vaſorum referentium in corporis ſuperficie terminantium, vel per pulmones in inſpiratione aeris, vel denique per os ſalivæ menſtruo commixta, et in ventriculum delapſa cum ſanguineâ mole commiſceantur. Hinc nimiâ ſoliditate, indéque derivatâ vi attractivâ præpollenti gaudentia, nativa ſanguinis ſalia, parteſque ſanguinis fibroſas fortius attrahunt, quam àſeipſis, aut à ſeroſâ maſſæ ſanguineæ parte attrahuntur: unde primò oritur fermentatio, et febris a progreſſivo ſanguinis motu retardato, et fermentativo ab attractione antedictâ, et ſucceſſivé repetitis partium minimarum ictibus ab elatere petitis, aucto. Hinc liquidi vitalis progreſſivus motus ſegnior, qui quâ propor-

tione

tione minora vaſa in corporis ſuperficie, et alibi attingit. Eâdem proportione langui-dior fit maſſæ ſanguineæ circuitus. Unde quies liquidi major, et ſalinarum partium diſtantia minor: hinc vis attractiva fortior, et fluidorum viſciditas major; hinc ſanguinis è minimis canaliculis ſub cuticulâ eruptiones; unde macularum et petechiarum quandoque ſupervenientium ratio petenda: hinc pariter ſalium moleculæ, figuræ et angulorum multiplicum; et ab horum angulorum ſtimulatione, et effectibus dolores rheumatici, nunc pungentes, et acres; nunc gravativi; pro diverſo ſalinarum partium motu, et figurâ.

A ſanguinis lentore prædicto, et ſolidorum in minoribus vaſis criſpaturâ ſecretiones ferè omnes ad œconomiæ animalis ſuſtentationem requiſitæ ad tempus imminuuntur. Debito minor ſeparatur ſpirituum animalium copia; unde cordis et arteriarum contractio debilior. Reſpiratio admodum moleſta, et quandoque difficilis, frequentia pulſus, horror etiam, et rigor initio invadentes ab irritatione membranarum, a ſanguine ſalino acri irritante, & ſtimulante ortâ, deducuntur. Subita virium proſtratio ex retardato liquidi vitalis progreſſivo motu, et indé imminutâ ſpirituum animalium ſecretione infertur.

H Urina

Urina initio rubra, deinde ſæpe aquea, vel turbida ex variâ, et majori vel minori ſalium attractione, nec non arteriarum minimarum criſpaturâ intelligitur. Nam morbi initio, dummodo ſalium attractio adhuc minor, et languidior ſit, propria ſanguinis ſalia in ſero diſſoluta, nec a minimarum arteriarum criſpaturâ adhuc in motu obſtructa, ſed per renales glandulas ſecreta colorem urinæ ſatis rubrum exhibent. Morbo autem progrediente, quia in minoribus præcipue vaſis, et arteriarum extremitatibus, per debitas attractionis leges plurimæ et multangulæ formantur ſalium moleculæ, unde glandularum, et minimorum tubulorum criſpatura major, et diametri anguſtiores; minor quoque hoc morbi tempore, diſſolvitur in ſanguinis ſerosâ parte, ſalium quantitas; et ab utriſque igitur conſociatis hiſce cauſis fit, ut urina pallida et incocta ſecernatur.

Hinc deducitur clarè, cur in hoc morbo, accedente præſertim regimine calidiori, facile ſuperveniant doloroſæ viſcerum et membranarum inflammationes: A Criſpaturâ ſcilicet et obſtructione ſolidorum minimorum à ſanguine ſalino acri irritante ortâ. Unde ſero ſalino acri ſtimulante in tenuiores viſcerum naturalium fibrillas exudante, dolori-

dolorifica ſæpè ſuccedit inflammatio: auctâ præſertim a methodo præpoſterâ, et regimine præfervido minimarum fibrillarum criſpaturâ, et ſalium acrimoniâ.

Rebus hoc ordine ſubſiſtentibus; veriſimile videretur, et repetitis a me factis obſervationibus adhuc confirmatur, ſanguinis lentorem, et laxum ſolidorum jam ſuppoſitum tonum imminui debere in morbi principio, per emetici lenioris è radice ipecacoan exhibitionem, ſi æger præcipue ad vomendum inclinet; præmiſſâ tamen phlebotomiâ, ſi vel minima appareat diſpoſitio inflammatoria; aut ſi morbus in ætate juvenili, a nimia ſpirituoſorum liquorum ingurgitatione, exercitiis vehementioribus; anni tempeſtate vernali, aut æſtivâ præfervidâ, a ſuppreſſione alicujus evacuationis debitæ, in agili firmâ et elaſticâ ſolidorum compage, vel plethorico et ſanguineo corporis temperamento, aut denique a frigore percepto invadendi anſam arripuerit.

Ab initio enim depletis hâc methodo vaſis ſanguiferis, et ſolidis, ponderis quo gravabantur portione liberatis, eò longe felicius ab emetici operatione contrahentur, et ſemel contracta ad debitam tenſionem eâ proportione accedent, quâ pondere diſtendente et premente liberantur. Pondus

autem non tantum a ſanguine extracto, et materiâ per vomitum aut ſeceſſum rejectâ, ſed à ſublatâ per emetici virtutem pororum cuticularium obſtructione, et hinc auctâ inſenſibili perſpiratione imminuitur.

Quantum vero ad obſtructam tranſpirationem reſtituendam conferant emetica, ex felici illo, quem in morbis a frigore percepto, et imminutâ perſpiratione ortis, effectu, repetita ſæpe producunt ejuſmodi medicamenta, evidenter innoteſcit.

Secunda indicatio eſt, per diluentia propriedicta ſalium moleculas in maſsâ ſanguineâ ſtabulantes, manifeſtas lentoris, et criſpaturæ ſolidorum cauſas, naturâ hoc præcipiente, diſſolvere, et diſſolutas per elaterem ſolidorum ab idoneo regimine, et applicatione ſtimuli externi, veſicatoriorum ſcilicet, è cantharidibus conflatorum quodammodo reſtitutum, per varia corporis colatoria eliminare.

Tertia verò indicatio eſt, et omnium præcipua, ut naturæ motus ab initio diligenter obſerventur; ad juvantia et lædentia ſedulò attendat medicus; pauca remedia præſcribat, eaque talia, quæ dilutis ſufficienter fluidis, ſolidorum debitas contractiones promoveant; ita ut ſanguis in ſuo motu nec nimis

mis torpeat, nec ultra debitum modum excandeſcat : cum utraque extrema ſint ex æquo culpanda.

Huicque intentioni apprimè ſatisfacit talis diætæ convenientis, et cardiacorum temperatorum ſtatis temporibus uſus, et pro diversâ morbi, et ægrotantis indole, diverſus, qualis ſolidorum contractivos motus, et fluidorum progreſſivum circuitum ſuſtentare valeat, quo uſque natura morborum acutorum præcipua medicatrix, vel per aliquam evacuationem particularem, vel per ſigna coctionis in urinâ, vel per ſymptomatum omnium gradatam remiſſionem, abſque ullâ licet ſenſibili evacuatione præmiſsâ, victoriæ reportatæ indicia præbuerit ſatis manifeſta. Quo tempore apparentibus ſcilicet coctionis debitæ ſignis, generoſiora adhuc alexipharmaca in uſum revocari debent ; ad morbum certiús, et tutiús eliminandum.

Inter cordialia, veriſſimum eſt quod ſerum lactis canarinum mihi in hujuſmodi febribus pertractandis, magno, frequenti, et felici fuerit in uſu ; ſtatis tamen ſolummodo horis. Nec niſi in maxime enervatis corporibus, ſenibus v. g. hyſtericis, hypochondriacis, vel gravi aliquo præcedenti morbo enervatis eodem pro potu ordinario un-

unquam uti præcepi ; et in ejuſmodi ſemper caſibus idem cum aquâ diluendum aut commiſcendum curavi ; ne frequentior fortioris ſeri uſus, malum quod curare in animo habui, certiús fortaſſé accerſeret.

Diluentia vero quæ in hoc morbo mihi maximè familiaria fuerant, ſunt ſerum lactis limpidum cum ſucco limonum, vel aurantiorum ad gratam acciditatem commixtum, aut cum iiſdem ſuccis, vel aceto optimo aliquando paratum, aqua hordei pariter acidula ; aut ptiſana aperiens, et diluens, ex hordeo, radicibus acetoſæ, graminis, &c. compoſita, emulſiones quandoque è quatuor ſemin. frigid. major, et amigdal. dul. cum aquâ hordei ; pro re etiam natâ, tinctura roſarum vel decoctum album.

Hæc aut his ſimilia, reſpectu ſemper habito ad varias, et multiplices imo vero indefinitas circumſtantias, quæ vel morbos hos epidemicos, vel ægrotos his laborantes reſpiciunt ; et methodo ſemper pro circumſtantiarum varietate aliquatenus variatâ, mihi in hiſce frebribus petractandis feliciter profuerunt ; purgato ſemper ſub morbi finem, aut quando vires ad hunc evacuatio-

nis

nis modum aptæ reſarciantur, ægro; ad morbi reliquias è corpore eliminandas.

Cordialia interim, quorum feliciſſimum effectum in hiſce epidemicis pertractandis expertus ſum, medicamenta, in ſequentibus pagellis fuſiùs deſcribendi dabitur occaſio.

Cum veró ex hiſtoriâ Affricæ naturali, et ex obſervationibus in diverſis Aſiæ regionibus factis, abundé ſatis conſtet vehementioribus, menſibus ſaltem julio et auguſto, horum locorum caloribus, cum frequentioribus imbribus conſociatis peſtem ipſam truculentiſſimam haud rarò ſuccedere; quia hujuſmodi aeris temperatura à crebrioribus ventorum perflantium circuitibus, et mutationibus minùs feliciter ventilata, debito motu privata, primum torpeſcens, deinde vero cito putreſcens, prædictæ calamitatis luctuoſa jacere perhibetur fundamenta: Hinc quoque conjicere fortaſſe liceat has aeris qualitates, gradibus quantumvis indefinitis in hâc noſtrâ inſulâ, prædictis iſtis mitiores, febrium epidemicarum generationi aliquo ſaltem modo (variato ſæpius et inconſtanti ventorum noſtrorum motu non obſtante) ut plurimum favere. Hoc lubens admitto, inde

inde verò adæquatam febrium omnium epidemicarum cauſam ſtatuere, et ſtabiliri oportere penitus nego. Quandoquidem repetitâ ſæpius obſervatione compertum habeo febres in hâc noſtrâ regione epidemicas ſæpe emicâſſe, nullâ omnino ſimili aeris temperaturâ præcedente, imo vero contrariis prorſus aeris ſenſibilibus qualitatibus, gelido nempe, ſicco, et perfrigido aeris ſtatu prius obſervatis, ut infrà clariús apparebit.

Hinc a cauſarum fere omnium prædictarum concurſu, cauſam febrium omnium epidemicarum deſumendam ſtatuo. His itaque aer noſter ita inquinatur, et pravas hinc adeo induit qualitates; ut cum ſanguine commixtus, naturalem ejus motum et fluiditatem perturbando, et ſolidorum debitum tonum pervertendo, ſecretiones neceſſarias et ad œconomiæ animalis ſuſtentationem requiſitas obſtrûat, et interrumpat; in quo vero præciſè conſiſtat natura hujus miaſmatis contagioſi, corporis humani ſolida, et fluida morbifico hoc afflantis contagio, nemo hactenús philoſophus aut geometra quantumvis doctus, et in rerum naturalium cognitione expertus, quod ſciam, certò aut evidenter demonſtravit. In tam profundâ igitur rerum caligine haud a ſcopo longè forſan aberrabit,

bit, qui hujus miaſmatis naturam in ſale quodam animali alkalino ſummé volatili, ut ſuperius obſervatum eſt, collocabit. Hic primo ejus in ſanguinem ingreſſu, præter ſupra recenſitos lentores et viſciditates, eorumque effectus, ſummâ ſuâ inſuper volatilitate, molem ſanguineam agitando, dividendo, propellendo, et attrahendo, vaſorumque minimas febrillas irritando, ſtimulando, criſpando, et contrahendo, fluidorum vehementiorem motum, et ſolidorum intentum nimís elaterem ſæpe adauget. Hinc tubulorum minimorum ruptura, vel diſtenſio dolorifica, et ſeri acris ſalini expreſſio, unde viſcerum, et membranarum inflammationes, cephalalgia immanis, deliria vehementiora, laſſitudo ulceroſa, occulorum ferocia, petechiæ in corporis ſuperficie multiplices, calor moleſtus, ſitis vehemens, pulſus magnus, frequens, fortis, et durus. Rheumatici dolores, lumbago, Hypochondriorum tenſio inflammatoria, jactatio, vigilia, anxietas, narium Hæmorrhagia, cæteraque febris vere inflammatoriæ indicia. Quæ tamen omnia in morbi progreſſu, a venæſectione citra rationem repetitâ, nimio refrigerantium uſu, enematis ſæpiús repetitis, opiatis frequentioribus, ſolenni naturæ machinâ febre ſcilicet

I his

his modis præproperé ſuppreſsâ, et naturâ a morbo et præpoſterâ methodo penitús evictâ, et a ſalutari criſi iniquiſſimé avocatâ. In funeſtiſſima et maximé maligna ſymptomata, ſi non mortem ipſam certam ac ſubitaneam, ſæpiſſimé tranſmutantur. Et hinc evidenter apparet utraque frigidi ſcilicet, et calidi regiminis extrema, ſi modum excedant, in febrium epidemicarum curatione pari prorſús curâ et cautelâ eſſe vitanda.

MOR-

MORBORUM

ACUTORUM et CHRONICORUM

QUORUNDAM

Obſervationes Medicinales Experimentales.

SECTIO Prima.

CAPUT I.

Conſtitutio Epidemica Annor. 1717, 18, 19, 20, 21, 22, 23.

ANNO 1717, quo mihi morborum epidemicorum genium, et naturam obſervandi prima occurrebat occaſio, variolæ à veris primordio, per totam æſtatem ad æquinoctium uſque au-

tumnale communiter graſſabantur. Adveniente hyeme parciùs ſæviebant, paucos eò anni tempore adorientes. An hæ variolæ præcedentis conſtitutionis fuerint genuina ſoboles; an verò conſtitutionis inſequentis prodromus; omninò anceps ſum, et incertus: cum ante præfatum annum variolas in hâc inſulâ pertractare mihi non contigerit.

Circa æquinoctium autumnale currentis illius anni febres intermittentes emicabant; quotidianæ ſcilicet, tertianæ ſimplices, et duplices; ſicut et quartanæ nonnullæ.

Anno verò 1718, variolæ toto veris, et æſtatis tempore, ſatis popularitér; hyeme tamen, et autumno parciùs et rariús ſæviebant.

Prædicto quóque anno febres jam dictæ intermittentes frequentiſſimé graſſabantur; nullo feré non anni tempore, præſertím verò autumno, et vere invadentes.

Intermittentes hæ circa æquinoctium autumnale, præ cæteris quibuſlibet morbis, maximè ſemper infeſtantes, hujus conſtitutionis hiſce præfatis annis dominium juxta præclaram ſolertiſſimi ſydenhamii obſervationem, obtinuiſſe; mihique magni iſtorum

annorum

annorum epidemici nomen et titulum apté ſatis commeruiſſe videbantur. Febres e-nim quædam continuæ, intercurrentes, et ſporadicæ quas annis 1717, & 18, quandoque apparere obſervavi, ſub morbi finem ſæpius in intermittentium caſtra migrabant; illarumque ſymptomata generalia præcipua ad harum genium et indolem aliquatenús ſaltem acceſſerunt.

Symptomata quóque quædam anomala, quæ in declinatione variolarum confluentium à 21 ad trigeſſimum, aut quadrageſſimum uſque morbi diem haud raró ſupervenerunt, horumque per methodum appropriatam commoda ſatis frequenſque ſublevatio prædictorum veritatem ulteriús comprobant.

Sub finem namque variolarum maximé confluentium prædictis annis ingruentium, ſupervenerunt haud raró paroxyſmi febriles, ab horrore et rigore ordientes; quibus permoleſti calores, anxietates, pulſus celer, parvus, debilis, quandoque intermittens; delirium, et ſudores colliquativi ut plurimum ſuccedebant, hicque paroxyſmus quotidié, vel alternis diebus; ſæpé veró mane et veſperi, ſingulis diebus recrudeſcebat. Hinc virium magna debilitas, inquietudo, vigiliæ, ſpirituum ataxia, ſitis moleſta, diarrhæa colli-

quati-

quativa, appetitus proſtratus, animi deliquium, febris hectica, urina quandoque pallida, ſæpe tamen ſedimento lateritio ſtipata, phthiſis acuta, et mors ipſa, niſi tamen ab arte tempeſtivé avertatur; ſæpe ſubſecuta ſunt.

Hæc autem omnia moleſta, et periculoſa ſymptomata a cortice peruviano in formâ liquidâ, et ſolida præſcripto, pro ægri palato, et morbi circumſtantiis variandâ, durante harum intermittentium dominio tutò et felicitér ſublata fuiſſe frequentér expertus ſum.

Obiter quóque notandum eſt, me ſæpius obſervaviſſe ægrum circa feré trigeſſimum aut quadrageſſimum morbi diem, nimìs languidum debilem et hecticum prædicti corticis uſu, non tantum viribus brevi tempore refarcitis, alimenta neceſſaria concoxiſſe; ſed naturam inſupér in hoſtem hinc potentiús inſurgentem, (debita priús humoribus quiete, et ſolidis vi elaſticâ reſtitutâ) maligni morbi reliquias ſub apoſtematum ſpecie in corporis ſuperficiem ablegâſſe; unde tutò convaluit æger, qui alitér ab hoſte oppreſſus et pene confectus inevitabili fato ſuccumberet.

Circa

Circa æquinoctium vernale anni 1719 caput extulit febris quædam epidemica continua, de die in diem increbeſcens, nullam feré non-familiam invadens, et præ omnibus quas hactenus obſervare licuit latiſſimé ſparſa. Hæc circa ſolſtitium æſtivum ad ſummum vigoris et extenſionis apicem evecta in eodem fere gradu conſiſtens ad æquinoctium autumnale pari robore acceſſit. Abhinc vero paſſibus æqualibus declinans circa ſolſtitium hyemale rariús viſa pauciores tantummodo invadebat.

Circa veró Januarii ſubſequentis exitum, aut Februarii initium priſtinas vires reſumere videbatur; ac per totum ver, et æſtatem inſequentem ad æquinoctium uſque autumnale ſatis communitér graſſabatur.

Ab hoc tempore ſensím iterum declinans circa ſolſtitium hyemale feré diſparuit; et per binos inſequentes annos rariús apparebat, pauciores tantum hic et nunc invadens; donec tandem ſe ipſam penitús et perfecté ſubduxiſſet.

Febres prædictæ intermittentes durante febris hujuſce continentis vigore nullibí obſervaba-

ſervabantur; aut ſaltém rariſſimé in conſpectum venerunt.

Variolæ etiam, durante hoc eodem temporis intervallo, rariús apparuerunt. Annis vero 1721, & 22, quibus prædicta febris parciús infeſtabat, frequentiús graſſabantur variolæ: nonnullæ etiám intermittentes vere et autumno, iiſdem annis apparebant. Menſibus vero octob. et novemb. anni 1722, recedentibus variolis, morbilli epidemici omnes feré infantes, juvenes permultos, et quoſdam ætate provectos communitér invadebant. His demúm circa æquinoctium vernale recedentibus; variolæ iterum emicabant; et ad æſtatis exitum perdurarunt: quo demúm tempore præterlapſo, gradatím declinabant, et hyeme inſequenti penitùs exulabant. Hic mihi videbatur hujus conſtitutionis generalis terminus.

Obſervandum præteréa durante hâc prædictorum annorum conſtitutione, vere præſertím et autumno, febres inflammatorias intercurrentes, pleuriticas v. g. peripneumonicas, anginoſas, eriſipelatoſas, et ſcarlatinas frequenter apparuiſſe; ſicut et hyeme, febres catharrales a percepto frigore ortum habentes.

Obſer-

Obſervandum ſecundò durante hâc conſtitutione, nullam notatu dignam varietatem aut mutationem quoad ſenſibiles aeris qualitates acceſſiſſe ; niſi quod durante febre epidemicâ continuâ, primo ſaltem hujus invaſionis anno, æſtas admodum calida fuerit ; autumnus verò et hyems frequentioribus imbribus durante febrium intermittentium memoratarum dominio maduerint.

Circa prædictorum annorum epidemicos pauca obſervaturus, initium faciam à febre iſtâ epidemicâ continuâ, quæ propteréa quod intermittentium dominium inſecuta fuerit, ut ſuperiús dictum eſt, ad expertiſſimi ſydenhamii febrem depuratoriam annorum 1761, 62, 63, & 64, aliquatenús ſaltem referenda videtur.

CAPUT II.

De febre continuâ Annor. 1719, 20, &c.

A Rigore et horrore ut plurimúm orditur. Mox ſuccedunt calor lenis, vo-

mendi ſæpé deſiderium, pulſus celer, parvus, quandoque magnus, durus, et fortis; nunc mollis, inconſtans, intermittens, et vacillans; nunc ad ſanorum pulſum proximé accedens; magna interím et ſubitanea haud raró virium proſtratio. Progrediente ad incrementum morbo, ſitis nunc magís nunc minùs moleſta, aliquandò mediocris aut feré nulla. Capitis dolor nunc gravativus, et vertiginoſus, nunc acutus, permoleſtus, et lancinans, eodem tempore increbeſcit. Calor acris et moleſtus, pulſus major et celerior, jactatio inquieta, anxietas ſingularis, magna haud rarò ad ſomnum, vel lethargiam proclivitas, ſtupor ingens in quibuſdam, in aliis vigiliæ pertinaces, deliria inſignia nunc taciturna, nunc vociferata, phrenitis, artuum et dorſi dolores, rheumatiſmum, aut lumbaginem æmulantes, in morbi incremento paritér ſuperveniunt.

Tenſio dolorifica, dura, et inflammatoria in morbi progreſſu circa hypochondria, & regionem epigaſtricam, quandoque etiam in toto abdomine, et ſpeciatím in regione veſicæ concomitatur.

Lingua initio morbi alba, humida, et viſcida, morbo procedente et circa ſtatum, ſicca, fæda, cum quâdam circa dentes

ſpur-

ſpurcitie, ſcabra quoque, et ſæpé arida, et nigra conſpicitur. Urina in principio morbi rubra, tenuis, aquea, vel turbida. Petechiæ in collo, pectore, et inter ſcapulas, ſæpé in corporis trunco, et artubus, rubræ, purpureæ, aut luridæ, pulicum morſus magnitudine feré æquantes. Circa morbi ſtatum, privatio nonnunquam loquelæ, et memoriæ.

In quovis morbi tempore diarrheæ frequentes, ſæpé ſymptomaticæ, rariús autem licet aliquandò ſub morbi declinationem, criticæ et ſalutares.

In morbi ſtatu, et augmento, ſicut et in declinatione, (criſi præſertím funeſtâ præcedente) ſubſultus tendinum, motus convulſivi, et convulſiones vehementiores ac ſingultus.

Reſpiratio aliquandò facilis, bonum ſemper omen, ſæpè verò frequens et cita, magna et rara, difficilis etiam et laborioſa.

In manibus ab initio tremores feré conſtantes, cum morbo aucti; ita ut potum vix ori cum facilitate admovere valeant ægri, præcipué circa ſtatum: hoc ſumpto-

ma omnibus epidemicâ febre laborantibus commune admodum obſervavi.

In multis eruptiones miliares per univerſum corpus, præcipué verò circa collum, humeros, pectus, et dorſum ; quò plenior, ac magis protracta fuerit talis eruptio circa morbi ſtatum, eò ſemper feliciorem morbi eventum obſervavi : Cum ab hâc, ſupperveniente præſertim ſudore vel diaphoreſi paulò pleniori, morbum felicitér ſublatum fuiſſe ſæpiùs conſtaret, hinc cordialium medicamentorum doſin, in his morbi tempore et circumſtantiis, cum ſucceſſu felici ampliatam ſæpiſſimé expertus ſum.

Febris incrementum indicant laſſitudo ulceroſa, dolor, ægritudo, jactatio, vigiliæ, calor intenſus, ſitis, celeritas et fortitudo pulſus, tinctura et contenta urinæ, ariditas linguæ, et oris in dies aucta.

Hoc ſymptomatum incrementum utpoté abſoluté neceſſarium, nec profusâ venæſectione, aut nimio refrigerantium uſu eſt temeré et officioſé reprimendum, quamdiù prædicta ſymptomata intra juſtos limites continentur, nec ſubitaneam machinæ ruinam nimio incendio, fervore, et orgaſmo intendant.

A nimiâ ſanguinis excandeſcentiâ, et inflammatoriâ humorum diatheſi, vel ſpontaneâ, vel caſu aliquo invocatâ, dolores ſpaſmodici vel rheumatici, phrenitides aut deliria ſupevenientia, vel diarrheæ, vomitiones enormes, aut aliæ quævis excretiones immodicæ ſymptomaticæ hinc productæ non tantum venæſectionem, pro re natâ etiam repetitam, julapia contemperantia, enemata, emulſiones et apozemata refrigerantia, ſed etiam opiata, et reſtringentia medicamenta ad prædictorum ſymptomatum cauſam ſubigendum et debellandum indicant et expoſcunt.

Durat hoc ſtadium ad plures vel pauciores dies, pro variâ morbi indole et medendi methodo, plùs minùs accuratâ et idoneâ.

Symptomata febrilia activitatis vigorem adepta morbi ſtatum indicant; modò tamen ad appropinquantem criſin eodem ferè tenore progrediantur; nec urina, pulſus, vel lingua, ullam feré mutationem ſubeant; quamvis laſſitudo ulceroſa, dolores capitis, & rheumatici jam ſenſím declinare incipiant, qualiſcunque futura fuerit criſis; ſalutaris, aut funeſta.

Sanguis enim in ſtatu morbi ad ſummam expanſionem evectus, membranas & fibrillas

nerveas

nerveas non ampliùs diſtendit, aut convellit, undè doloris & moleſtæ ſenſationis declinatio. Hoc ſtadium longiús aut breviús durat, prò variâ morbi & circumſtantiarum omnium indole, & diverſâ ratione.

Febris hæc ad decimum quartum, quandoque ad vigeſſimum primum, aliquandò etiam, ſed rariùs ad trigeſſimum quintum morbi diem excurrit.

Per ſudores ſæpiùs, vel diaphoreſin paulò pleniorem fugam facit. Quandoque per diarrhæam illam, cui hic morbus nimiùm proclivis eſt, ſi poſtquam coctionis ſigna appareant, ſupervenerit; felicitèr terminatur. Sæpè etiam nullâ ſenſibili evacuatione perceptâ, remiſſis gradatìm ſymptomatibus, et ſignis coctionis evidentibus in urinâ apparentibus, febris diſparuit.

Dolorifica et inflammatoria abdominis tenſio, cum morbi incremento aucta, circa ſtatum, gangrænâ ſuperveniente, ſæpè lethalis fuit.

In hâc febre pertractandâ, intentio medici præcipua ad hunc collimare debet ſcopum, ut ſanguinis fermentatio intra modum naturæ propoſito congruentem ſiſtatur; eâ nimirùm ratione, ut nec hinc plùs æquò excandeſcat, undè

undè periculoſa ſymptomata inſequantur; nec illìnc nimiùm langueſcat, undè materiæ morbificæ debita ſeparatio, & genuinum naturæ opus interpellarentur.

Hâc igitur inductus ratione, ſi ante quartum aut quintum morbi diem advocarer, ſanguinis uncias circitèr decem mitti curo; modò tamen æger juvenis fuerit, aut ætatis florem nondum prætergreſſus; pulſum inſuper habuerit fortem, durum, & celerem; temperamento ſanguineo & fibrâ tenſâ præditus, vernali tempore, aut ſub æſtatis initium decubuerit; ab exercitiis vehementioribus, frigore contracto, aut nimiâ liquorum ſpirituoſorum compotatione morbus invadendi anſam arripuerit; & æger nullo præcedenti diuturno morbo, labore, inediâ, jejuniis, ſtudiis intemperatis, vigiliis nimiis, mærore, anxietate, vel gravioribus ejuſmodi animi pathematis enervatus apparuerit.

Inſtitutâ in hoc caſu phlebotomiâ, ſi natura ad vomendum inclinet, eodem veſperi, aut die minimùm inſequenti, hauſtum emeticum è radice ipecacoanæ propino; & operationem repetitis infuſionis florum chamæmeli, in aquâ fontanâ paratæ, hauſtibus, promovendam injungo. Eadem nocte, horâ ſomni, hauſtum paregoricum è ſyrupi de meconio doſi mediocri, ad ſedandos excitatos ab emeti-

co

co tumultus & orgaſmum præſcribo; modò tamen lethargica diſpoſitio, ſtupor, vel capitis gravedo, me à paregorico exhibendo non deterreant; iſtis autem apparentibus, hoc penitùs omitto.

Radix ipecacoan. emeticis antimonialibus quibuſlibet, mihi videtur in febrium initio præferenda. Minùs enim inflammat; &, ob aſtringentem quâ pollet virtutem, ſolidorum laxatorum elaterem imminutum aptiùs reſtituit; materiam inſenſibilis perſpirationis obſtructam, cutis poros reſerando, eliminat; & diarrhæam ſymptomaticam huic febri familiarem præcavet.

Hæc omnia manifeſta ſunt, ex felici illo, quem prædicta radix in diarrhæâ, dyſenteriâ, & morbis à frigore contracto ortis ſublevandis, producit effectu.

Verùm, ſi in ægrum ſeniorem, vel cui ſuperiùs dictis contraria omnimodè competant, incidam; aut ſi minùs tempeſtivè, quod quidem ſæpiùs fieri ſolet, accerſitus eſſem; in utroque caſu, à venæſectione, & emetico manum tempero.

Apparente ſtupore, dolore capitis gravativo, lethargico, vel comatoſo; reſpiratione anheloſâ, citâ, vel difficili; delirio taciturno, melan-

melancholico; pulſu tardo, depreſſo, intermittente, celeri, minimo, aut molli; linguâ viſcidâ, humidâ, et albâ; urinâ turbidâ, vel tenui aut aqueâ; ſubpingui et corpulento corporis habitu, temperamento pituitoſo, aut laxato ſolidorum tono; ſivè venæſectio et emeticum præceſſerint, ſivè non, à morbi principio epiſpaſtica, pro ſymptomatum vehementiâ, plùs minùs multiplicanda, nullo non febris tempore applicari jubeo: exceptis tamen morbi ſtatu, inſtante ſcilicet ſalutari criſi, & febris declinatione; quibus in ſtadiis non niſi ſuccumbente naturâ, poſt criſin infidam aut funeſtam, vel alio aliquo inuſitato & anomalo ſymptomate ſuperveniente, veſicatoria applicanda præſcribo. Nec in iiſdem paritér morbi temporibus niſi ſymptomatum vehementia id inevitabilitér requirat, & ægri vita ab incendio inteſtino in maximum diſcrimen adducatur, aut venæſectionem, aut enemata, emulſiones, vel medicamenta refrigerantia in uſum revocari permitto.

Veſicatoria autem brachiis internis, carpis, tibiis, femoribus, capiti raſo, et inter ſcapulas, ſucceſſivè et pro re natâ in hâc febre applicare mihi ſolenne erat; et acria interim ſuppedanea plantis pedum frequentiùs admovenda ſuaſi.

Diluentibus intereà appropriatis, et ſubacidis aquoſis liquoribus affatìm hauſtis, ſanguinis maſſam plùs debitò efferveſcentem contemperare ſatagebam. His enim ſalia ſcorbutica, acria, alkalina, diſſolvuntur; ſanguinis lentor imminuitur; circuitus promovetur; vis attractiva ſalina infringitur; ſolida laxata intenduntur; contracta nimìs, criſpataque laxantur; et debitæ ſecretiones reſtituuntur.

Subacidis paritér hiſce liquoribus, nimia ſalium animalium alkalinorum pernicioſa volatilitas figitur; aſſimilandi virtus infirmatur; aculeata ſoliditas obtunditur; morboſæ attractiones deſtruuntur; coagulationes humorum diſſolvuntur; et putrefactiones ſalinoſæ auferuntur.

Per hos quoque liquores, et emulſiones arabicas, & amigdalinas, ſalia cantharidum acria demulcentur; urinæ colatoria, et meatus à cruciantibus hiſce ſtimulis muniuntur; naturaque in proprio ſuo munere et negotio hoc tempore peragendo, mirum in modum allevatur.

Appropriata et commoda in hâc febre diluentia, ſunt emulſiones, aqua hordei cum ſucco limonum aut aurantiorum inſtillato, ſerum

ſerum lactis limpidum cum prædictis ſuccis, vel aceto vini optimo paratum, ptiſana aperiens, & diluens, ex hordeo, radicibus acetoſæ liquirit, gramin, &c. compoſita, pari modo acidata, in quâ quantitas mediocris ſal. prunel. aut nitri purificati ſoluta fuerit, ſerum lactis limpidiſſimum cum vino canarino paratum, & aquæ puriſſimæ quantitate mediocri dilutum, aqua ipſa pura, in quâ panis toſtus maceratus fuerit, cum ſucco aurantiorum acidula facta, & cereviſia tenuis in quâ panis paritèr toſtus maceratur.

In diarrhæâ verò ſymptomaticâ huic febri ſuperveniente, decoctum album, tinctura roſar. rubrar. aut decoctum rubicundum prædictorum loco ſubſtituuntur.

Ætate provectis, morbo aliquo præcedenti diuturno fractis, debilioribus, fæminis hyſtericis, viris hypochondriacis, pueris, & infrà adoleſcentiam conſtitutis, his qui à repetitâ nimis in morbi initio venæſectione, et frequenti enematum, aut catharticorum uſu injurioſè mulctati ſunt, aut qui (nullis à primâ morbi invaſione apparentibus inflammationis indiciis) immodico tamen emulſionum, & medicamentorum refrigerantium uſu algeſcebant; cordialia à principio morbi ſaltem temperata annuere non dubito.

Cordialia pro varietate circumſtantiarum & morbi temporum, plùs minùs activa, ſpirituoſa, & volatilia commendo. Et felices ſpirit. volatil. C. C. & ſal. vol. oleos. effectus in hâc febre ſæpiſſimé expertus ſum.

In morbi ſtatu, & ſub declinationem, ſi febris neutiquam ſit generis inflammatorii, nec ſponté, vel defectu tempeſtivæ evacuationis, vel præpoſtero nimìs calidi regiminis uſu, viſceris alicujus inflammatio ſupervenerit, ſignis præſertim coctionis apparentibus, alexipharmaca medicamenta parcâ minùs manu, & diætam magis reficientem annuere non dubito.

Et hic etiam cautelâ opus eſt maximâ, nè quid nimis: naturæ namque vires diligentér expendendæ ſunt. Nec motus ipſius regulares à nimis exuberanti, officioſo, & ingeminato horum medicamentorum uſu turpitér invertendi.

Enematum emollientium, & laxantium alternis diebus uſus, nullâ infeſtante diarrhæâ, mihi familiaris eſt in his, quibus ſanguinis parùm aut nihil omninò detractum fuit, ſi vegetiores præſertim fuerint.

Junio-

Junioribus, temperamento ſanguineo præditis, vernali præcipué, & æſtivo tempore decumbentibus, his qui delirio vehementi, acutiſſimo capitis dolore aut gravitate vexantur, vel quibus à comeſſationibus & ingluvie, magnus eſt humorum, à primâ morbi invaſione, apparatus, & cacochylia in primis viis, febre inflammatoriâ laborantibus, aut quibus inflammatoria hypochondriorum, vel alicujus viſceris particularis ſupervenit diſpoſitio, enemata emollientia ad decimum aut duodecimum morbi diem, vel donec ad ſtatum perventum fuerit, alternis ſaltem aut ſingulis diebus repetenda, abhinc verò parciùs, & non niſi magnâ urgente neceſſitate, uſurpanda ſuadeo.

Quibus citra neceſſitatem phlebotomia ſæpiùs repetita eſt, et nimius refrigerantium, emulſionum, aliorumque ejuſmodi liquorum, ſanguine præter modum non excandeſcente, uſus, his enemata parcâ magis manu ab initio injicienda ſunt.

Diarrhæa ſymptomatica à morbi principio invadens, vel in hujus progreſſu, ſuperveniens, nè naturâ à deſignato ſcopo et inſtituto opere divertatur, julapiis reſtringentibus, enematibus corroborantibus, decoćto albo, tincturâ roſarum rubrarum, decocto rubicundo,

et

et decocto *Fracaſtorii*, phar. Quin. ſupprimenda eſt, vel ſaltem intra juſtos cancellos coercenda.

Prædictis omnibus ad propoſitum finem parùm proficientibus, felices admodum paregorici vires, in morbi præcipuè declinatione, et circa decimum quartum febris diem haud ſemel obſervavi.

Delirio phrenetico vernali tempore ſuperveniente, in ætatis florem nondùm prætergreſſis, calido ſaltem regimine præcedente, uncias ſanguinis circiter decem è ſaphænâ mitti jubeo.

Memorato ſymptomate pertinacitér ſubſiſtente, cum pulſu duro, forti, & tenſo; ætate juvenili, temperamento ſanguineo, aut regimine præfervido prægreſſo, pediluvia, balneationes, fomentationes, enemata emollientia, ſuppedanea acria, epiſpaſtica, ſanguinis miſſio è venâ jugulari, et paregorica, morbo ad diuturnitatem decimi quarti ſcilicet, aut circiter diei accedente, efficacia quidem et ſummé proficua obſervantur.

Diæta mihi in hac febre familiaris juſcula ſunt hordeacea, avenacea, orizata, panatella, pomum coctum et ſimilia. Gelatina verò

C. C.

C. C. orizata, et panatella ſola, diarrhæâ ſymptomaticâ laborantibus conveniunt.

Superveniente, quod ſæpè evenit hyemali præcipuè tempore, huic febri, tuſſi, oleum amigdalarum dulcium recenter extractum, ſaccharo chryſtallino albo edulcoratum, et moderatâ doſi ſæpiùs exhibitum, ad hoc ſymptoma demulcendum plurimùm confert. Diarrhæâ tamen ſæviente ab hoc pro tempore illo abſtinendum.

Ad recidivationem febris aliaque mala præcavendum, ægrum ſub morbi finem, leniori cathartico purgandum, hocque ſemel, aut bis, debitis intervallis interjectis, repetendum injungo. Et ut cathartica poſteriùs ſumpta, prout ægri vires ſensím reſarciuntur, prioribus paulò fortiora ſint, præcipio. Hiſque præmiſſis, ægrum ad priſtinam et uſitatam diætam revertere permitto.

Poſt omnem catharſin, paregoricum horâ ſomni ſumendum, urgente præcipué tuſſi, vel vigiliâ nimiâ, aut ſpirituum ataxiâ ſuperveniente, cum ſucceſſu felici preſcribitur.

Remedii paregorici felices effectus in corporibus evacuatis, macilentis, fœminis hyſtericis, viris hypochondriacis, temperamentis

ſanguineis

ſanguineis fibrâ elaſticâ donatis, morbo ad diuturnitatem progrediente, ſæpiſſimè expertus ſum.

A delirioſo, perturbato, pervigili, et lipothymico ſtatu (ſedatâ ſpirituum ataxiâ et vehementiori motu) ad plenum rationis uſum cum pulſu laudabili, ſigniſque coctionis evidentèr apparentibus, ægros hujus medicamenti virtute, et efficaciâ, fauſto omine revocatos ſæpiùs obſervavi.

Opiata quietem humoribus et ſpiritibus conciliant: ſomnum inducunt: dolores ſedant: facultates internas corroborant: et concoctiones promovent.

Fibras nimis rigidas, tenſas, et criſpatas laxant, leniunt, et emolliunt.

In febribus hinc inflammatoriis ſæpè proſunt. In malignis verò, et ab humorum coagulatione ortis haud raró nocent, vel cum maximâ ſaltem cautelâ adhiberi deſiderant.

Quod in febribus inflammatoriis proficua admodum ſint, patet ex eo quòd eruptionem variolarum, quietem humoribus conciliando, felicitér promoveant, et naturæ motus in

ſanguine

ſanguine depurando mirum in modum adjuvent.

Hinc apparet opiata medicamenta aſtringenti quâ pollent virtute, in omni ſaltem caſu, ut quidam ſuſpicantur, materiæ morbificæ ſeparationem, concoctionem, et expulſionem à naturâ inchoatam, et deſideratam non impedire; ſed mirâ quandoque potiùs felicitate promovere.

Spiritus vol. C. C. efficaciam, et fauſtos effectus, poſt *Etmullerum*, *Hodges*, alioſque magni nominis viros, ad ſpiritus in epidemicâ febre oppreſſos, et debilitatos, refocillandum et reſtaurandum frequentiſſimé expertus ſum.

Prædicti ſpiritus, vel ſal. volat. oleos. guttas aliquot in hauſtu potus ordinarii diluentis ſuprà memorati, aut in cochlear. tribus julap. alicujus cordial. temperat, cum ſingulari ſucceſſu ægrotis meis præſenti febre decumbentibus exhibere ſolebam. Doſin autem aut guttularum numerum, vel repetitionis frequentiam, pro morbi & ægrotantis ſtatu, cæteriſque circumſtantiis variis, variam in hâc febre conſtantèr inſtitui.

Hoc tamen affirmo, me complures hâc febre periculosé laborantes, & in ipſo quaſi

mortis agone conſtitutos, his remediis, ampliori ſæpè doſi, & frequentiùs repetitis, ab orci faucibus (favente numine) eripuiſſe.

Principium prædictorum volatilium conſtitutivum eſt ſal animale volatile, exiguâ aquæ quantitate innatans, eâque olei ſubtiliſſimi portione emollitum, quæ ipſum reddat remedium jucundum, et contra convulſivos omnes motus efficaciſſimum.

Circuitum et motum liquidi nervoſi excitant, et dirigunt. Intimâ quâ pollent principiorum eſſentialium cum prædicto liquido affinitate, et ſimilitudine, ſpiritus labefactatos reſtaurant, ac debilitatum et elanguidum, in hujus febris declinatione, eorundem tonum reſtituunt.

Ob eaſdem rationes, remedia hæc ſpirituoſa viſcidum et coagulatum ſanguinem attenuant. Circuitum nimìs languidum promovent. Obſtructiones reſerant. Cor exhilarant. Ac deperditum in ſolidis laxatis elaterem, & propellendi virtutem reſtaurant.

Inimica hinc morbi materia undequáque preſſa, et repetitis adeò, nimíſque præpollentibus ictibus flagellata, tandem evicta et concocta, à triumphante naturâ criſi perfectâ eliminatur.

Horum

Horum volatilium uſus, bolis alexipharmacis è radice ſerpentariæ virginianæ, &c. coaleſcentibus, in hâc febre pertractandâ, mihi videtur omnimodé præferendus.

Debili namqué et elanguido ægro, cum primæ digeſtiones mirum in modum depravatæ et imminutæ ſint; cumque natura in digerendâ, et concoquendâ materiâ morbificâ præcipuos, nè dicam omnes ſuos adhibeat conatus; quorſum tot bolis alexipharmacis, toties, tertiâ ſcilicet, aut quartâ quâque horâ repetitis, è radicibus et aliis ſolidis ingredientibus conflatis, natura proprio jam operi incumbens à ſuo propoſito ſcopo divertatur?

An ægri ventriculus jam morbo acuto debilitatus, et ſuccis morboſis à ſanguine aduſto, et inquinato ſuppeditatis refertus, ſolidis hiſce, nimiſque opprimentibus et gravantibus medicamentis digerendis aptus eſt? cum cuivis vel maximè ſano, et à febre prorſus immuni, bolus antedictus tertiâ aut quartâ quâque horâ vorandus, nauſeam in ventriculo, et querelam crearet.

Nonné boli prædicti febre laborantium ſpiritus, et internas facultates, à digerendâ morbi materiâ aliorſúm avocabunt? et novum conſequentèr in ſanguine et ſpiritibus

 orgaſ-

orgaſmum, et tumultum excitando, novos paritèr febris inſultus et exacerbationes excitabunt?

Quærerem ſeriò, ſi vel maximè ſanus lecto incarceretur, veſicatoriis acribus ad nucham, crura, brachia, carpos, imò et, quod fieri aliquandò ſolet, ad caput raſum applicatis torqueretur; vinum canarinum ad magnam quantitatem, et ſerum lactis canarinum ad plures libras pro potu ordinario quotidiè hauriret; bolum alexipharmacum è rad. ſerpentar. virginian. croco, antimonio diaphoret. et ſimilibus conflatum tertiâ, vel quartâ quâque horâ voraret; juſcula avenacea et hordeacea, vino plùs debitò ſaturata, et vinum ipſum cum ſpeciebus aromaticis incoctis ditatum, per modum diætæ frequentiùs uſurparet; an non hic in febrem ab hoc ſolo regimine ortam conjiceretur?

Qui hoc reverà affirmaret, aut ſaltem hujus veritatem per experimenta exploraret, haud longè forſan à ſcopo aberraret; præfatum licet regimen aliquibus venenata miaſmata incuſantibus, in omni febre epidemicâ commendatum habeatur: Quod, ut expertus loquar, tam rationi, quam conſtanti et coacervatæ experientiæ contrarium perhibetur.

His

His innixus rationibus; quoties boli alexipharmaci exhibendi, manifeſta ſeſe obtulit, in hâc febre indicatio, ſatiùs mihi videbatur pulverem aliquem cordialem, in ſeri lactis, vel julapii alicujus cordialis cochlear. aliquot diſſolutum ſtatis horis exhibere, quàm ventriculum ægrum ſolidis iſtis medicamentis totiès repetitis frequentiùs opprimere.

Pulvis autem cordialis è lapide contrayervæ, de goâ, pulver. è chel. cancror. compos. antimon. diaphoret. et ſimilibus componitur, et in doſes proprias, vel diſtinctos ſcrupulos dividitur. Pulveris hujus chartula una in ſeri lactis dulcis, canarini, aut Julapii cordialis appropriati cochl. aliquot, ſextâ, octavâ, vel duodecimâ quâque horâ exactiſſimé diſſoluta, pro diversâ circumſtantiarum exigentiâ, exhibita fuit; hicque exhibendi modus nullam omninò nauſeam, aut ventriculi moleſtias creavit. Nullam quoque digeſtionis difficultatem comitem habuit; cum in liquore idoneo diſſolutus exactiſſimé pulvis, citò et facili negotio in ſanguinem deferatur.

Si verò animus aut indicatio radicis ſerpentar. virginian. exhibendæ ſeſe obtuliſſet; in formâ potiús liquidâ, tincturæ ſcilicet, quam ſolidâ eandem ſumendam eſſe duxi.

Tincturam

Tincturam etiam croci, pulveris ejuſdem loco frequentér ſubſtitui. Et ſi hoc poſtulaſſet occaſio, grana aliquot camphoræ in vehiculo idoneo ſoluta haúd ſemèl prodeſſe obſervavi.

Verbo dicam, medicamenta omnia in formâ ventriculo gratiſſimâ, et quæ minimas in iiſdem digerendis moleſtias, aut difficultates afferre ſoleat, exhibenda eſſe, diligentér et ſedulò curavi.

Non enim concipio, cur pari prorſús curâ et ſagacitate, ad medicamenta minús gravantia, et facillimæ digeſtionis in morbis acutis exhibenda non attendat medicus, quâ in diætâ leviſſimâ, et facillimé digerendâ eadem occaſione inſtituendâ, fieri ſolet. Utraque enim ex æquò, ægri commodum et utilitatem reſpiciunt.

Julapia quibus uti ſoleo, ex aquis ſtillatitiis Ceras. nigror. lactis alexiter. meliſſ. flor. calendul. cum proportionatâ quantitate aquar. epidemic. peon. bryon. compos. ſcord. compos. et ſimilium componuntur, cum ſyrupi limonum aut alterius cujuſvis appropriati q. s. edulcoranda.

Julapia

Julapia aliquandò perlata ex prædictis vel ſimilibus aquis conflata, et pulveribus alkalinis cordialibus levitér ſaturata, urgente præcipué diarrhæâ, et in aliis quoqué puerulorum præcipué ægrotantium circumſtantiis, cum ſúcceſſu felici præſcribere ſolebam.

Potio purg. componitur ex fol. ſen. mundat. drach. ii. rhab. elect. incis. crem. tartar. ā drach. ſſ. Caſſ. recent. extract. et tamarind. ā drach. ii. ſemin. fœnicul. dul. ſcrup. ii. in aq. font. q. s. infuſ. Colaturæ unc. iii. diſſolvendo man. calab. et ſyrup. roſar. ſolutiv. ā drach. vi. hæcque ægro exhibenda eſt horâ opportunâ matutinâ: augendo vel minuendo doſin pro ratione ætatis, et virium. Hauſtu hoc cathartico ægrum bis tervè purgari jubeo poſt febris diſceſſum.

Veſicatoria in hâc febre, corpulentis, pituitoſis, lethargicis, comatoſis, aſthmate humorali, aut catharro laborantibus, fibrâ laxâ donatis, ſtupidis, pulſu tardo, depreſſo, et molli gaudentibus, cum linguâ viſcidâ, humidâ, et albâ, capitis dolore gravativo, delirioſâ ſomnolentiâ, aliiſque viſciditatis et coagulationis humorum indiciis, præ aliis quibuſcunque communitér loquendo indicantur; et in prædictis circumſtantiis feliciſſimos producunt

ducunt in hâc noſtrâ inſulâ; in febre epidemicâ multiplici amoliendâ, effectus.

Macilentis verò, emaciatis, hecticis, hæmorrhagiâ laborantibus, ſenilibus, fibrâ nimís tensâ et rigidâ præditis corporibus; viſcerum abdominalium inflammationibus, paroxyſmis nephriticis, iſchuriâ, dyſuriâ, ſtranguriâ, calculo renum, aut veſicæ diſcruciatis; vaſis turgidis et plethoricis, febribus complurimis inflammatoriis, æſtivo præſertim aut vernali tempore, morborum quoque initio, nullâ ferè, vel nimís parcâ evacuatione præmiſsâ, hydropicis, et aliis permultis ejuſmodi caſibus, veſicatoria aut minús proficua, aut noxia ſané obſervantur; vel ſaltem, non niſi magnâ cum cautelâ, et pro rei neceſſitate majori, in uſum revocanda ſunt.

Poſt applicationem veſicatoriorum, liberalior liquorum diluentium et contemperantium uſus ſummé neceſſarius eſt.

In urinæ ardore, ſtillicidio, vel ſuppreſſione à cantharidibus ortis, conferunt amigdalina emulſio, aqua hordei, et emulſio Arabica.

Veſicatoria femoribus, et tibiis internis applicata, ſi nimís acria ſint, et longiori quam

par

par eſt tempore vel morâ, partibus prædictis alligata maneant, gangrænam ſæpiùs induxiſſe obſervavi; profundâ enim nimìs plagâ hoc modo inflictâ, violentus hinc et abundans acrium humorum in partem affectam fluxus derivatur, et congeritur. In œdematoſis igitur pedum, femorum, et tibiarum tumoribus, epiſpaſtica præfatis partibus admoveri non debent. Brachiis potiùs internis, carpis, nuchæ, aut capiti raſo, dummodo talia indicentur, tutiùs applicanda cenſeo.

Veſicatoria in febribus conducunt ſtimulando ſolida, attenuando fluida, derivando à parte affectâ, revellendo etiam, et morbi materiam eliminando.

Fontanellas cruribus, brachiis, aut inter ſcapulas inciſas ſummæ, ad febres malignas et epidemicas præcavendum, utilitatis eſſe, obſervatur. Hujus remedii virtute peſtem ipſam feliciter protelatam obſervaverunt magni nominis medici.

Hodges pungentem in ulceratâ parte dolorem, accedentem ſe propiùs ad peſte laborantes continuò percepiſſe, et uberiorem tunc temporis purulentæ materiæ ſecretionem, & ab ulcere fluxum expertum fuiſſe teſtatur. Hoc etiam remedium *Etmullerus*, *Hildanus*, *Sennertus*, *Hofmannus*, & alii

percelebrati viri, prophylacticum contra peſtem decantatum repetitis obſervationibus comprobarûnt.

Veſicatoria in illâ peſte, quæ in *Italiâ* ſæviebat annis 1590, 1575, 1576, et in illâ pariter peſte, quæ anno 1665 Londini graſſabatur, mirum in modum profuiſſe obſervata ſunt.

Ex ſupra recenſitis concludere fas eſſet, fontanellas in conſtitutione aeris epidemicâ cum mali moris febribus, et variolis, aut morbillis conſociatâ, optimi præcaventis remedii titulo aptè ſatìs inſigniri: ſequitur paritèr veſicatoriorum uſum et utilitatem ad febres complures epidemicas amoliendum, non tantum noſtris in præſenti hoc ſeculo obſervationibus, ſed complurium adhuc aliorum virorum elapſis ſeculis, teſtimonio eſſe comprobatum.

Febris propè criſin à venæſectione profusâ celebratâ, nimio refrigerantium uſu, aut enematum injectione repetitâ, in malignam tranſmutatur. Et hoc ex pulſu debili et celeri, urinâ pallidâ, et tenui, linguâ nigrâ et aridâ, ſubitaneâ virium proſtratione, ſubſultibus tendinum, comate, vigiliis, deliriis, aliiſque vacillantium ſpirituum indiciis manifeſtè apparet.

In

In hoc deplorato caſu ad veſicatoria repetita, alexipharmaca generoſiſſima, ſerum lactis canarinum nullâ aquâ dilutum pro potu ordinario, ad volatilia etiam et ſpirituoſa medicamenta ampliatâ doſi frequentèr repetenda, tanquam ad ſolam et unicam poſt naufragium tabulam, omni ſtudio accurrendum eſt.

Obſervatio Prima.

In matronâ quâdam per tres ad minimùm ſeptimanas hâc febre laborante, tumorem abdominis prominentem, durum, et dolorificum, ſub febris declinationem obſervavi.

A ſuppreſſione urinæ totali ad decem aut plures dies ſubſiſtente, ortum habuit. Varia ad urinam ciendam, et alvum quæ per prædictos dies ſtipata permanſit, ſolvendam, incaſſúm tentata fuerant remedia. Lipothymiâ, delirio, ſpaſmis dolorificis, et extremorum frigore, cum pulſu celerrimo, minimo, depreſſo, intermittenti, et vacillante ſociatis per plures dies excruciata eſt.

Tumor *Aſcitem* confirmatum magnitudine æquabat; et totum abdomen æqualitèr elevatum, durum, tenſum, et dolorificum apparuit.

A medico ſeniori in conſilium vocato, morbus genuinus *Aſcites* cum dolore viſcerum abdominalium, à ſero acri erodente orto conſociatus, reputatus eſt. Uſum catheteris à me propoſitum in miſerrimæ ægræ ſolamen penitùs irridebat; cum ſerum in abdominis cavitate, non autem in veſicâ contentum affirmaverit: certo igitur et fatali prognoſtico, de morte ægræ citò eventurâ præmiſſo, ſe ſtatim ſubduxit.

Ego verò mecum reputans, plura in morbi decurſu applicata fuiſſe veſicatoria, ad ſæviſſima quæ prædictæ febri ſupervenerunt ſymptomata debellandum, à quibus prædicta urinæ ſuppreſſio quodammodò forſan invitaretur; quia ægra ſufficienti liquorum appropriatorum copiâ acria cantharidum ſalia diluere abnuebat; et certior præterea factus, matronam hanc à pluribus retrò annis, paroxyſmis nephriticis frequentioribus fuiſſe obnoxiam, imò et ipſam inſignem ſatis materiæ ſabuloſæ quantitatem per meatus urinarios ſæpiùs excreviſſe; catheterem in veſicam ſtatim immitti curo. Quid fit? urinæ libræ octo illicò extrahuntur; quo peracto, ter alvum ſponte dejecit: et ingenti fætidorum excrementorum per has evacuationes pondere liberata, ſomno placido ad quatuor

horas

horas protracto, mirum in modum refocillata eſt.

Repetito demúm debitis ſemper interjectis intervallis, ter, quaterve, catheteris uſu, viginti octo aut circitér urinæ libras, quadraginta horarum ſpatio è veſicâ excrevit; Et poſt aliquot abhinc dies felici admodúm ſucceſſu, priſtinæ ſanitati perfecté reſtituta eſt.

Obſervatio Secunda.

Ad juniorem nobilem virum hâc febre laborantem accerſitus, methodo noſtrâ antedictâ die circitér decimo quarto ipſum febre liberavi. Potionem lenem purgantem præſcripſi poſt tres aut quatuor dies horâ ſextâ vel ſeptimâ matutinâ, cum debito regimine ſumendam; et ſemel aut bis debitis interjectis intervallis repetendam. Interím tamen febris recidivam certò prædixi, ſi per incuriam aut ſocordiam, quod ſæpé evenire obſervavi, præſcripta purgatio omitteretur: quo tandem facto, memet ſubduxi.

Æger intereà cum corpore et animo, intra paucos dies ſe ſatis bené valere falſó crediderit; ſpretis meis monitis, et neglectâ omni omninò purgatione, ad priſtinam et uſita-

uſitatam diætam nimís inconſultò reverſus eſt.

Poſt quindecem autem elapſos dies, à febre recidivante, mali moris ſymptomatis ſtipatâ correptus, me iterùm advocari jubet; ex quâ tamen febre, poſtquam per triginta dies cum magno vitæ diſcrimine ærumnoſiſſimè decumberet, ægré tandem reſtitutus eſt; et adhuc ſuperſtes manet.

Immani delirio per tres ſeptimanas perſeverante, compluribus aliis funeſtis ſymptomatibus ſtipato torquebatur; voce et memoriâ, ad octo vel decem dierum ſpatium penitùs privatus fuit. Applicata erant veſicatoria plura, ſuppedanea acria, et pediluvia frequentiora; enemata ſæpiùs injecta ſunt; ſanguis in morbi principio et incremento bis miſſus fuit; ex ſaphænâ ſcilicet et venâ jugulari; notatu quoque non indignum eſt, quod dum ſanguis è venâ jugulari pleno adhùc gurgite flueret, vocem recuperaverit et loquelam.

Obſervatio Tertia.

Abſceſſum ad coxas in hujus febris ſtatu obſervavi in matronâ quâdam nobili, diarrhæâ colliquativâ à morbi principio, delirio etiam

etiam vehementi, vigiliis pertinacibus, ſpaſmis frequentioribus, et ſtupore ſubindè maligno mulctatâ. Ex hoc abſceſſu, putridæ, ſi benè memini, et ſphacelatæ carnis libra ad minimùm una ſponté, et ſine ullâ prorſús remedii applicatione excidit. Magnam fætidi ichoris et puris quantitatem profudit pars affecta. Tandem verò, ulcere arte chirurgicâ ſanato, ægra poſt triginta aut circitér dies, à febre et prædictis diris ſymptomatis immunis, priſtinæ ſanitati poſt breve aliquod tempus felicitér reſtituta eſt.

Obſervatio Quarta.

Nobilis matrona hyſterica admodum et ſcorbutica, triginta tres annos nata, hâc febre a primâ invaſione ad trigeſſimum uſque diem decubuit. Cordialia medicamenta, et alexipharmaca generoſiora, ob diatheſin hyſtericam et enervatam ſpirituum craſin, unà cum diætâ refocillante miniſtrabantur. Sanguis non fuit ab initio miſſus, nec enemata feré ulla emollientia injecta: diarrhæâ tamen ſymptomaticâ, toto ut plurimúm morbi tempore, plùs minùs miti laboravit. Delirio vehementi, motibus convulſivis, et ſubſultibus tendinum diriſſimis, in febris incremento et ſtatu plerumque torquebatur. A nutricibus et adſtantibus decimo ſeptimo circitèr

tèr morbi die, horâ primâ matutinâ, mortua putatur: ego è lecto expergefactus mox accurrebam, et ſtolidas ac crudeles nutrices miſerrimæ ægræ mortuæ jam reputatæ occulos occludentes, et vi quâdam comprimentes non ſine ſtupore conſpexi. Has ſtatím ab ægrâ diſcedere jubeo, et cochleare minimum ſpirit. ſal. vol. oleos. vel ſpirit. vol. C. C. qui præſtó erat, in os immittere conabar; maxillam etiam inferiorem à ſuperiori vi quâdam diſtrahi, et cochleare alterum prædicti ſpiritus cum cochlear. duobus julapii cujuſdam cordialis commixtum in os intrudi jubeo; manu intereà ori admotâ, hujus mixturæ partem ſaltém aliquam, concuſſis priùs capite et thorace, deglutire coacta eſt. Poſt ſex abhìnc elapſá horæ minuta, doſis eadem julapii cum prædicto ſpiritu volatili repetita eſt, quam quidèm fàciliùs adhuc deglutivit. Intra pauca poſthàc horæ minuta, pulſum arteriæ minimum intermittentem in carpis explorabam; ægra delirare cæpit; et voces aliquas inarticulatas effudit. Elapsâ horâ unâ, ſexaginta adhùc ſpiritus iſtius volatilis guttas in doſi julapii prædicti inſtillatas hauſit; à quibus multò meliùs ſe habere viſa eſt. Die inſequenti alterum paroxyiſmum prædicto non abſimiem, multò tamen leviorem paſſa eſt; à quo eâdem ferè methodo liberabatur.

Trigeſſimo

Trigeſſimo morbi die febris illam reliquit, & adhuc ſuperſtes manet hæc ægra, quæ à tempore præfato hyſtericis querelis minús obnoxia fuit, & ad hunc uſque diem firmâ magís valetudine fruitur, quàm ante febris prædictæ invaſionem unquàm potita eſt.

In febris declinatione prædictorum volatilium guttis quindecem, viginti, aut triginta in hauſtu potus ordinarii, vel cochlear. aliquot julapii cordialis & antihyſterici quartâ vel ſextâ quâque horâ inſtillatis refocillabatur; in hoc etiam morbi tempore decocto albo tantillo aquæ cinnamomi hordeat. Ditato, pro potu ordinario utebatur; panatellâ, juſculis orizatis, aut gelatinâ C. C. aquâ cinnamomi, tantillo macer. et ſaccharo albiſſimo ad gratum ſaporem conditis, manè et veſperi veſcebatur; ob diarrhæam vèhementiùs infeſtantem, et hínc proſtratas ultrà modum ægræ vires.

Obſervatio Quinta.

Juvenem quendam hâc febre laborantem tractavi; huic ut benè memini, ſanguinis unciæ circitér decem ſecundo morbi die è brachio detractæ ſunt. A ſomno profundiori, ſub dio in aperto & viridi prato, poſt vehe-

mentiora exercitia ad plures horas protracto, morbus invadendi anſam arripuit.

Stupore incredibili, delirio lethargico, vocis et memoriæ privatione, à primis morbi diebus detentus fuit; & ad hujus finem, aut ſaltem declinationem plerumque perſeverabant recenſita ſymptomata. Pulſus adfuit parvus, frequens, et depreſſus; reſpiratio aliquatenús difficilis et ſuſpirioſa; capitis gravitas ſingularis, inſenſibilitas magna, univerſalis; et lethargica diſpoſitio. Nec ſitis adfuit, nec cephalalgia, vel cujuſvis alterius doloris moleſta ſenſatio: lingua tamen arida, ſcabra, nigra, vel obſcura videbatur. Urina pallida, aquea, vel turbida; alvi excrementa liquida, frequentia, et bilioſa prodibant; hæc omnia inſenſibilitér, et ægro non percipiente, excreta ſunt: petechiæ multæ purpureæ, luridæ, aut nigræ, in corporis ſuperficie in conſpectum venerunt.

Nullo vomendi deſiderio à principio tenebatur, nec ullum, quod ſciam, ipſi emeticum propinatum fuit. Motibus convulſivis, frequentioribus tendinum ſubſultibus, tremulo linguæ et manuum motu inſigni vexatus eſt.

Applicata erant quarto aut quinto morbi die, veſicatoria tria ampla et acria nuchæ,

et

et brachiis internis; quatuor adhùc alia epiſpaſtica carpis et tibiis internis poſtero die admota ſunt; durante morbo bis renovata erant hæc omnia veſicatoria. Cordialibus temperatis, diluentibus appropriatis, reſtringentibus, volatilibus medicamentis, ſuppedaneis acrioribus, calidis pedum tibiarumque in aquâ calidâ lotionibus, et fomentationibus emollientibus, toto febris tempore ſedulò, et pro re natâ tractabatur.

Sanguis è ſaphænâ ad quantitatem mediocrem ſemel extractus eſt; ſemel quoque, ni fallor, è venâ jugulari ſanguinis unciæ aliquot detractæ ſunt. Ad diuturnitatem magnam, triginta quinque ſcilicet, aut circitér dies, febris hæc excurrebat; et præ nimiâ ægri ſtupiditate à primâ morbi invaſione perſiſtente, non niſi ſecundam veſicatoriorum repetitionem perſentiſcere omninó valebat. Nullâ tandem ſenſibili evacuatione, aut criſi manifeſtâ, ſed ſymptomatum omnium gradatâ tantùm remiſſione ſuperveniente, poſt ſex à primo febris inſultu elapſas ſeptimanas, ſanitatem demùm recuperavit. Stupidus tamen quodammodò, et quoad memoriam, loquelam, et rationis uſum, per aliquot adhuc menſes febris diſceſſum ſubſequentes, minùs ſanus et vegetus apparuit.

Obitér notandum eſt diarrhæam illam ſymptomaticam, prædictum morbum à principio ferè concomitantem, nullis reſtringentibus remediis, diaphoreticis aut alexipharmacis, magnâ licet ſedulitate, et animi attentione miniſtratis, penitùs ſupprimi potuiſſe; cum id tantùm aſſequi valeat methodus prædicta, ut ſymptomati præfato frænum aliquo ſaltem modo adjiciat, idemque intra quoſdam quaſi limites et cancellos coerceat.

Hincque veriſimile videtur ſymptomaticum iſtum alvi fluxum, toto ferè febris tempore pertinacitér ſubſiſtentem, longitudinis morbi et cruditatis cauſam præcipuam ſtatuendum eſſe; nec prædicti interim ſymptomatis durationi, victoriam à naturâ poſt varios incaſſúm conatus et labores tandem reportatam, ullo modo eſſe attribuendam.

CAPUT

CAPUT III.

De variolis benignis, & anomalis, conſtitutionis Annor. 1719, 20, &c.

QUamvis hujus ſectionis, Cap. I. ſuprà innuerem mihi certò non conſtare, an variolæ quæ ann. 1717, à veris primordio emicabant, præcedentis fuerint, an verò regnantis jam conſtitutionis genuina ſoboles; cum ante præfatum tempus variolas in hoc regno pertractandi nulla mihi obvenerit occaſio: nunc tamen adjicere libet veriſimilius videri, has ipſas ad conſtitutionem de quâ jam agitur, potiùs quam ad aliam quamcunque præcedentem eſſe meritò referendas; tum quia harum ſpecies diverſæ, præcipua phænomena, et medendi methodus his ſubjugandis aptiſſima, ad ſubſequentium præſentis annorum conſtitutionis variolas penitús acceſſerunt; tum etiàm quia per aliquot ante memoratum veris primordium annos, morbum hunc parciùs admodum invaſiſſe, et non populariter, ut epidemicis mos eſt, graſſatum fuiſſe, à ſenioribus medicis obſervatum fuerit.

Ut,

Utut ſit, pro certo habeo prædicti anni 1717, variolas, quoad ſymptomata generalia et ſpecialia præcipua, eventum morbi funeſtum aut felicem, et ſpecies morbi diverſas, ab inſequentium annorum variolis non multùm abluſiſſe; quamobrem ad regnantem hanc conſtitutionem tanquam ad genuinum parentem, prolem hanc ut minús ſpuriam relegandam eſſe cenſeo.

Tres præcipuas variolarum ſpecies in hâc conſtitutione graſſantes obſervavi; diſtinctas ſcilicet, cohærentes, et confluentes.

Diſtinctæ hæ aut benignæ et regulares fuerant, aut malignæ et anomalæ. Poſteriores ad variolas medias à clariſſimo *Mortono* olím obſervatas, ut plurimùm acceſſerunt.

Cohærentes etiam et confluentes, vel regulares erant et benignæ, parili ſcilicet ſymptomatum agmine, omnes quos adoriebantur, impetentes; vel anomalæ, mali moris, et malignæ.

De diſcretis, cohærentibus, et confluentibus benignis, aut regularibus, agam ſequenti capite; illarumque brevem hiſtoriam delineabo: initium faciens à diſcretis.

De

De diſcretis verò, cohærentibus, et confluentibus anomalis et malignis, verba faciam Cap. V. harumque hiſtorias pro mei ingenii modulo depingam; ordiendò paritér à diſcretis. In eodem quoque càpite medendi methodum, omnibus et ſingulis variolarum ſpeciebus aptiſſimam, et à me feliciſſimam obſervatam ſubnectam. Sit igitur.

CAPUT IV.

De variolis regularibus et benignis, hujus conſtitutionis; diſcretis ſcilicet, cohærentibus, et confluentibus; ac primò

De Diſcretis.

DIſcretæ regulares cum horrore, et rigore incipiunt. Succedunt mox calor, pulſus celer, et magnus, capitis dolor, nauſea, ſitis, et vomitio.

In adultis frequens in ſudores propenſio; In infantibus ſomnolentia, et quandoque motus adſunt convulſivi. Hi variolas diſtinctas pro-

proſtridié erupturas plerúmque præmonſtrant. Nonunquàm tamen tales epilepticos motus variolarum confluentium eruptionem antecedere expertus ſum.

Lingua alba et humida, jactatio inquieta, laſſitudo ulceroſa in aliquibus; in aliis hæc omnia ſymptomata ita prorſus levia conſpiciuntur, ut ipſis quaſi inſciis, vix aliquâ ægritudine prægreſſâ, variolæ erumpant paucæ, regulares, et perbenignæ, dum adhuc ſub dio muniis ſolitis fungerentur.

Quarto ut plurimúm die, aut ſub finem tertii, erumpunt puſtulæ ſubrubræ, tenuiſſimarum acicularum puncta magnitudine æquantes, et figuræ circularis.

Faciem primo, dein collum, pectus, brachia, manus, poſteà truncum, et artus inferiores occupant. His primo erumpentibus, febris, et alia omnia ſymptomata evaneſcunt. In quibuſdam fauces levitér dolent, et cum puſtularum elevatione dolor aliquantulùm augetur. In aliis nullus omnino faucium dolor obſervatur.

Puſtulæ in hoc morbo ſensím ampliatâ baſi, in faſtigium inſigne, verrucarum in modum elevantur; et carnem ubique circum jacentem inflammant.

Spatia

Spatia inter puſtulas interjecta, ſeptimo die, quandoque et octavo, rubore tinguntur, et cum dolore tenſivo turgeſcere incipiunt. Palpebræ ita ſæpe inflammantur; ut æger clauſis occulis, luce ad aliquot paucos dies privetur.

Tenſivus ſæpe et permoleſtus in plantis pedum dolor circa hoc tempus ita ægrum excruciat; ut non niſi opiatis, et fotibus emollientibus mitigari poſſit. Hoc ſymptoma eventum morbi felicem præſagire obſervavi.

Puſtulæ faciei, et reliqui corporis nono ut plurimum die ad debitam maturitatem perveniunt: Et pure legitimo turgidæ, et verrucales conſpiciuntur. Aliquando vero trunci, et extremorum puſtulæ ſeriús utpote erumpentes, non ante decimum, aut undecimum diem perfectæ maturationis ſtatum adipiſcuntur.

Dolor aliquis tenſivus et inflammatorius, vigilia, ſitis, et pulſus frequentia ab octavo ad undecimum circiter diem ſæpe orta, medicamenti paregorici exhibitionem ad veſperam in compluribus indicant.

A completâ jam maturatione, quæ die plerumque nonâ, quandoque ſed rariùs decimâ, vel undecimâ contingit, tumor et inflammatio faciei manifeſté recedunt, et puſtulæ debitam maturitatem adeptæ exareſcunt ſensìm, et decidunt.

Manuum puſtulæ diruptione aliquando, reliqui autem corporis, et faciei, deſquamatione levi et benignâ feré ſemper ex ſuâ naturâ abitum quærunt; et die duodecimo, decimo tertio, vel decimo circitèr quarto, penitus pereunt.

Æger femorum, brachiorum, et reliqui corporis puſtulas nimis avidè ſcalpendo, has ſæpè diſrumpit, et hinc moleſtam ſibi ſenſationem, et dolorem invocat.

Raró admodum in hâc variolarum ſpecie foveis ullis deturpatur cutis, et ſi aliquando vel per accidens, foveæ ullæ omnino remaneant; leves ſunt, perpaucæ, et minus profundæ. Raró etiam ſed quandoqué, in hâc ſpecie maculas rubras obſervavi.

Qui leviori autem et perbenignâ variolarum diſcretarum ſpecie laborabant, hi febre levi admodúm et vix perceptibili ad tres aut quatuor dies protenſâ corripiuntur;

tur: Quæ apparentibus primò puſtulis per-paucis, rotundis, et longé à ſe inviçém diſſitis penitùs diſparuit. Hæ dein puſtulæ benigniſſimo modo inflammatæ, ad debitam maturationem duorum vel trium dierum ſpatio perveniunt, ac tandem pure legitimo turgidæ, verrucales, et elevatæ incruſtantur; et hâc cruſtâ decidente, circà nonum aut circitér, à primâ invaſione diem, morbus hic leviſſimus abſque ullo moleſto ſuperveniente ſymptomate, aut vitæ diſcrimine, et ſine ullâ prorſús medicamenti ope, ſingula ſua ſtadia citò, tutò, et jucundè percurrit.

Confluentium et cohærentium regularium, atrociora ſunt omnia ſymptomata, quantumvis cum diſcretis communia.

Febris, anxietas, ægritudo, jactatio, vomitio, capitis, dorſi, et lumborum dolor immaniùs affligunt. Non eſt autem tanta in his, ac in diſcretis, ad ſudores propenſio.

Diarrhæa eruptionem confluentium ſæpe præcedit, et delirium. Ad paucos poſt ipſam dies, utraque quandoque protrahuntur.

Secundo vel tertio die ut plurimum erumpunt; rariùs autem, et non niſi ſæviente

ſpaſmodico quodam dolore, vel ſymptomate aliquo vehementiori, eruptio in quartum, vel quintum diem differtur; niſi tamen evacuatio aliqua perperàm inſtituta, qualis eſt repetita phlebotomia, vel catharſis, legitimam et genuinam eruptionem impediat. Sæpe autem variolarum diſcretarum malignarum eruptionem ad quintum, ſextum, vel ſeptimum diem, protelatam obſervavi.

In confluentibus et cohærentibus regularibus, febris poſt eruptionem perfectam, per xxiv aut circiter horas diſparere, vel ſaltem remittere, et inducias dare obſervatur. Creſcente autem morbo, et puſtulis matureſcentibus, iterum revireſcit.

Nunc eriſepelatis, nunc morbillorum formâ erumpunt. Inflammatis his faciem occupantibus puſtulis, non in faſtigium attolluntur, ſed ſibi invicem implicitæ, aut cohærentes veſiculam quandam rubram vultum omnem contegentem referunt. Facie citiùs et maturiùs quam diſcretæ ſolent, in tumorem elevatâ, puſtulæ hæ depreſſæ pelliculam deinceps albam eidem agglutinatam referunt.

Octavo die elapſo, vel circa noni diei exitum, pellicula hæc alba ſenſìm, et quotidiè magis exaſperatur, et ad colorem, ſubfuſcum aut ſubflavum tandem devenit.

Aſpe-

Aſperitas et color in dies augentur; donec pellicula dicta latioribus laminis deſquametur. Quod in truculentiori morbo, non niſi poſt vigeſſimum diem evenit.

Pellicula iſta ubi primum deciderit; ſquamulæ furfuraceæ indolis corroſivæ mox ipſam excipiunt. Facies patentioribus hinc excavatur foveis, et cicatricibus deformatur. Humerorum, dorſi, ſcroti, et pudendi cuticula ſæpè abraditur; nudatis partibus ſubjectis, iiſque lecti linteaminibus adhærentibus.

Magnitudo morbi à variolarum numero, confluentiâ, cohærentiâ, ſeſſilitate, maturatione imperfectâ, cruditate, et ſupervenientibus, aut concomitantibus ſymptomatibus æſtimanda eſt.

Salivatio eſt hujus morbi comes in adultis, quæ quo longiùs et copioſiùs ſubſiſtat; eo màgis de ægro bene pronunciandum eſt. Diarrhæa in infantibus, hâc variolarum ſpecie laborantibus, ſalivationis locum ſupplet.

Salivatio quandoque à primâ eruptione ſe prodit. Sæpe verò poſt aliquot ab eruptione dies in conſpectum venit. Salivationem poſteriori

ſteriori modo ortam longiùs ſubſtitiſſe, et feliciores effectus produxiſſe ſæpiús notavi; cum illam, quæ ſubitò et præproperè nimis invadit, ſubitò etiam, et ante debitum tempus diſparere, ſæpiſſime obſervaverim.

Hujus materia primò tenuis excernitur, et facilè rejicitur. Die antem undecimo perglutinoſa facta, ægrè admodum, et difficultèr excreatur. Siti laborat æger, tuſſit frequentèr dum bibit, et potus per nares quandoque revertitur. Ab hâc die imminuitur ut plurimùm ſalivatio, vel penitùs ceſſat. In quibuſdam vero, ſed rariùs, ad vigeſſimum primum uſque diem et ultrà, eandem perſeveraſſe expertus ſum.

Puſtulæ latæ, ſeſſiles, et denſæ, totum caput et crinium interſtitia, horumque radices ſæpe occupant. Maculæ rubræ minimæ in puſtularum interſtitiis apparent in trunco, dorſo, collo, brachiis, et femoribus. Ad diem fere undecimum, duodecimum, vel diutiùs ſæpe ſubſiſtunt. Hæ poſteà puſtularum formam induunt, et ſensìm eandem cum cæteris maturitatem adipiſcuntur.

Puſtulæ quæ maturationis initio, non niſi racemorum adinſtar per ſpinam, truncum, et femora confluere, aut cohærere videbantur, quæque minora ſaltem interſtitia vacua admit-

admittebant, die circiter decimo quarto, oppletis recenti hâc puſtularum pullulatione ſpatiolis hiſce vacuis, per integram cutis ſuperficiem confluere, aut ſaltem intimé cohæıere obſervantur.

Undecimo morbi die, imo quandoque et decimo, manus primùm intumeſcere ſolent, aut debent. Hæc intumeſcentia ſæpe in manuum alterutrâ tantum, primò apparet, deindè in alterâ; aliquando in ambabus ſimul. Mox ſuccedunt quandoque pedum tumores ſatis inſignes, et magnum urinæ profluvium.

Faciei tumor die undecimo declinare incipiens, non tamen ante decimum quartum morbi diem, ſæpe et decimum ſeptimum penitùs evaneſcit; occulis huc uſque occluſis ſponte ſuâ apertis, et pure acri ab ambientibus puſtulis ſuppeditato, quodammodo irritatis aut inflammatis.

Æger ſub veſperam paroxyſmum quendam permoleſtum, et ſymptomatum exacerbationem patitur, quæ paregorico appropriato temporiùs hauſto aut præcaventur feliciter, aut ſæpe levantur.

Die undecimo maximè periclitantur ægri ſalivatione ceſſante, ſi facies ſubitò detumeſcat,

meſcat, et manuum pedumve tumor, aut urinæ profluvium non ſupervenerint.

Die decimo quartò, quandoque et decimo ſeptimo, pro vario morbi genio, et cruditate, imo et omni quod inter diem undecimum, et decimum ſeptimum, intercedit tempore, ægri hâc variolarum ſpecie laborantes, in æquali ferè vitæ diſcrimine verſantur.

Pruritus inſignis in hoc morbo, tempore maturationis, et etiam in ſtadio ultimo, moleſtum ſatis eſt ſymptoma, et maximè frequens, et periculoſum.

Gutturis et tonſillarum dolor permoleſtus, et inflammatorius, hunc morbum ab eruptionis initio, ad finem uſque ſæpius concomitatur.

Diarrhæa in infantibus non ita inſeparabilis eſt hujus morbi comes, ac ſalivatio in adultis. Non eſt tamen arte ſiſtenda; quia morbi ſtadia, ſibi relicta percurrit.

Non in omnibus adultis, variolis maximè confluentibus laborantibus, ſalivatio ſemper obſervatur. Quoſdam enim hoc morbo etiam truculento laborantes, nullâ omninò vel levi ſalivatione ſuperveniente, ſuperſtites tamen,

tamen, & felicitèr ſed raró equidem reſtitutos obſervavi.

Juvenem mediâ æſtate variolis confluentibus, univerſam corporis ſuperficiem abſque vel minimo ferè interſtitio vacuo contegentibus laborantem, nullâ omninò ſuperveniente ſalivatione, nullo etiam apparente faciei aut manuum tumore, vel inſigni urinæ profluvio, feliciter tamen poſt 25 dierum exantlatum laborem reſtitutum obſervavi.

Scabie incruſtatâ, & deſquamatâ; pluribus varioloſis abſceſſus complures ſupervenientes obſervavi, qui à chirurgo ſcalpelli ope aperti magnam puris quantitatem evomuerunt; morbi reliquiis per hanc portam felici admodum eventu amandatis.

In muliere quâdam generosâ, inſtante octavo gravidationis menſe, per 30 dies hâc variolarum ſpecie decumbente, deſquamatâ ſcabie, complures hujuſmodi abſceſſus pure ſcatentes, & ſcalpello chirurgico apertos obſervavi. Hæc vero poſt paucos hinc inſequentes dies, vivum vegetumque infantem peperit, convaluit perfectè, & adhuc ſuperſtes manet.

In aliis deſquamatâ primâ ſcabie, novam quandam puſtularum eruptionem obſervavi;

quæ tamen citò ſtadia ſua percurrebant, abſque ullo fere relatu digno incommodo.

CAPUT V.

De variolis diſcretis, confluentibus, & cohærentibus crudis, & anomalis, ac primò.

De Diſcretis.

AB horrore & rigore orditur febris, capitis dolore, gravitate, vertigine, delirio quandoque vehementi, & phrenetico, pulſu celeri, depreſſo, intermittenti, citò ſupervenientibus ſtipata.

Succedunt prætereà anxietas magna, vomitio & nauſea immanis, ſomnolentia comatoſa vel lethargica, ſæpè verò vigiliæ immoderatæ, dolor dorſi, capitis, & lumborum ſpaſmodicus, lateris dolor nonnunquam convulſivus, pleuritidem æmulans, laſſitudo ulceroſa, dolores in lumbis, renibus, artubus, & inteſtinis verſatiles.

Prædictis ſæpiùs accedunt diarrhæa vehemens, reſpiratio frequens & cita, calor inconſtans,

conſtans, nunc mitis et lenis, nunc acrior et magìs moleſtus, ſubſultus tendinum, ægritudo univerſalis, urina tenuis et pallida, ſternutatio frequens, et tuſſis catharralis quandoque moleſta.

Secundo, vel tertio morbi die, erumpunt primò in facie, aliquandò autem in collo, pectore, aut dorſo, puſtulæ parvæ, rubræ, diſtinctæ, non tamen exactè rotundæ, variolis regularibus (exceptâ figurâ) perſimiles. Poſtero die nova puſtularum proles in priorum interſtitiis erumpit. Hæc eruptio per totam corporis ſuperficiem progreditur, & variolarum diſtinctarum formâ depoſitâ et exutâ, puſtulæ ſeſſiles admodùm, crudæ, minùs rotundæ, et magìs exaſperatæ, ad confluentium naturam propiùs accedentes obſervantur.

De die in diem multiplicantur, ita ut in facie et reliquo quandoque corpore, ſexto vel ſeptimo morbi die, efflorescentia numeroſa ſatìs, et exaſperata appareat.

Ad octavum ſæpè, aut nonum morbi diem, novas quotidiè puſtulas in hâc ſpecie erumpere haùd ſemel obſervavi. Febre intereà poſt completam eruptionem vix remittente, ſed per omnia potiùs morbi ſtadia pertinacitèr ſubſiſtente.

Tarda et inſida harum puſtularum eruptio in cauſâ eſt, quod, puſtulis primo die apparentibus, ad debitam ferè maturitatem pervenientibus, nec citiùs, nova ſæpè et recentia in prædictarum interſtitiis erumpant exanthemata. Maturiùs quoque, in ſpatiis inter primò erumpentes puſtulas interjectis, aliæ atque aliæ de novo ſuccreſcunt; ita ut quæ primis morbi diebus diſcretæ apparuerint, ſeriùs aliquandò, vel cohærentes, vel confluentibus proximæ videantur.

In apicibus puſtularum ad maturationem appropinquantium, foveæ nigro colore tinctæ conſpiciuntur, quæ concomitantis nimìs exaltatæ inflammationis, aut prægreſſi præpoſteri, et præfervidi regiminis indicia præbent ſatìs manifeſta; et per methodum oppoſitam diluentem et refrigerantem, poſt maturationem perfectam, niger ille color aliquandò in ſubflavum felicitèr tranſmutatur.

Seſſiles ac depreſſæ hujus ſpeciei puſtulæ ultimis diebus incruſtatæ, ſubnigrum colorem ut plurimùm exhibent, et antequam incruſtentur, ſero limpido vel aere turgidæ ſæpè apparent, nec tactui, cum omni ferè pure vacuæ ſint, renituntur.

Conflu-

Confluentes, et cohærentes, febre ſymptomatis præfatis in ſupremo gradu ſtipatâ prægreſſâ, primò quandoque, nunc ſecundo, vel tertio die ut plurimùm, raiò autem ſeriùs apparebant.

Sub ſpecie tumoris ſubrubri atque uniformis, ad eriſipelatis formam accedentis, et faciem omnem contegentis, confluentes nullo ferè viſibili puſtularum diſcrimine diſtinctæ, ſed efflorefcentiâ planâ et continuâ, neutiquam verò interpunctâ conſtantes, prodibant. Cum cohærentes eriſipelatis aut morbillorum adinſtar, efflorefcentiâ aliquo modo interpunctâ, et puſtulis ſeſſilibus intimè cohærentibus quadantenùs diſtinctæ in conſpectum venerint.

In reliquo corpore congeries quædam, ex infinitis propemodùm puſtulis rubris conflatæ, totam ſuperficiem variegabant; inter quas eminebant aliquandò ſparſæ quædam veſiculæ miliares, in femoribus, et aliis partibus ſatìs conſpicuæ, ſero limpido diſtentæ. Hoc (diſruptâ ſubindè pelliculâ) effluebat; ſubjectâ carne nigredine quandoque affectâ.

Die circitèr undecimo, pellicula ſubalba ſevoſi coloris tumori ſubrubro, variis faciei partibus, et paulatìm toti vultui obducitur.

Pellicula

Pellicula iſta alba brevi poſt, materiam quandam ichoroſam eructavit, colore ſubrubro, ſubatrum vel limoſum ſanguinem imitante, imbutam. Matureſcente puſtulâ, ad nigrum colorem quotidiè magìs accedebat; donec tandem integra facies nigredine fuliginis æmulâ tingeretur.

Levis ab initio ptyaliſmus, et intumeſcentia labiorum, frequens mingendi conatus, vel totalis urinæ ſuppreſſio, maculæ nigræ hìc illìc per corporis ſuperficiem ſparſæ, varioloſam hanc efflореſcentiam ſæpiùs concomitantur.

Effloreſcentia in facie tantum confluere deprehenditur; dummodò in corporis trunco, et artubus, ſæpè diſtincta conſpicitur, aut ex multiplici et diſtinctâ puſtularum rubrarum ſeſſilium efferatarum congerie conflata.

Petechiæ in puſtularum interſtitiis purpureæ, rubræ, et ſæpiùs nigræ conſpiciuntur. A primâ eruptione, ante eruptionem ſæpiùs, ſecundo verò aut tertio eruptionis die quandoque in conſpectum veniunt.

Hæmorrhagiæ profuſæ per anum, nares, veſicam, ex utero, et pulmonibus, diſtincta

hujus

hujus morbi ſtadia, præcipuè verò prima haud rarò concomitari obſervantur.

Urina pallida aut aquea, et ptyaliſmus parcior aut copioſior, breviùs aut diutiùs durans, maturiùs vel ſeriùs ſupeveniens, in his variolarum ſpeciebus frequentia nimìs, et uſitatiſſima apparent ſymptomata. Diarrhæa, delirium, phrenitis, motus convulſivi, ſubſultus tendinum, pulmonum infarctus et inflammatio, convulſiones, lethargici aut comatoſi ſopores, confluentibus paritèr et cohærentibus variolis ſæpiſſimè ſuperveniunt.

Variolæ ſivè confluentium, ſivè cohærentium, ſivè denique diſtinctarum formam induant, modò anomalæ ſint; quandò ſcilicet petechiæ purpureæ, aut nigræ, veſiculæ miliares, hæmorrhagiæ univerſales, deliria, vigiliæ, ſopor profundus, ſpaſmi, aut phreniti-des concomitantur; ſunt omnes ferè æqualitèr periculoſæ.

Variolæ ſive confluentes, ſivè cohærentes anomalæ, à primis morbi diebus, ad vigeſſimum primum uſque et ultrà diem, maximum inferunt vitæ periculum. Et in hoc temporis intervallo quam maximam edunt ſtragem.

Ab undecimo ad vigeſſimum primum diem major pars horum, qui in hoc morbo moriuntur, fatis cedunt. Nec ante vigeſſimum primum morbi diem ægrum memoratis jam variolis laborantem periculo omni immunem expertus ſum; ſæpé verò non niſi poſt trigeſſimum vel quadrageſſimum elapſum diem, hunc ab omni vitæ diſcrimine liberari manifeſtum eſt.

Morbus præfatus, nullâ ferè maturatione prægreſsâ, ultimum quandoque ſtadium ingreditur octavo, nono, decimo, vel undecimo die, funeſtiſſimis ſymptomatis ſtipatum. Pauci admodùm ex his caſibus evadunt, ſi ad numerum indefinitum reſpectus habeatur, qui truculentiſſimo hoc morbo in prædictis circumſtantiis conficiuntur et pereunt; plures tamen nihilominùs ex prædictis circumſtantiis convaluiſſe, et ab orci faucibus cum optato eventu ereptos fuiſſe expertus ſum.

His vero ſymptomata quædam anomala ſub morbi finem haud raró ſuperveniſſe notavi: qualia ſunt febris hectica, inappetentia, tuſſes catharrales, ſcrophuloſi glandularum tumores, ophtalmiæ pertinaciſſimæ, paroxyſmi febriles ad intermittentium naturam accedentes, phthiſis pulmonaris acuta; et alia ejuſmodi.

Urina

Urina cruenta, et ſanguinis è pulmonibus, aut per alvum in variolis excretio, mortem citam, certam, et inevitabilem prænunciant: ut teſtantur *Sydenhamius*, et alii magni nominis viri.

Varioloſos tamen ægros prædictis hæmorrhagiis, in malignâ et confluenti epidemicarum variolarum ſpecie mulctatos, tèr quatervé evaſiſſe obſervavi.

Sanguinis excretio in variolis ex utero vel naribus, æquale vitæ periculum non ſubindicat; complures enim truculentiſſimo morbo laborantes præfatis ſymptomatis vexatos, favente numine felicitèr reſtitutos novi.

Pruritus in variolis permoleſtus et continuus ab eruptionis principio ferè invadens, aut in morbi decurſu ſuperveniens, fætor inſignis concomitans, et faciei ſcabie nigrâ incruſtatâ diutina obductio, prava ſunt et mali moris ſymptomata, ac magnum vitæ periculum præſagiunt.

Qui venenata miaſmata variolarum cauſam ſtatuunt, ad qualitates occultas refugiunt; morbi genium et naturam aut ignorant, aut negligunt; et falſis indicationibus,

ac erroneæ medendi methodo anſam præbent inevitabilem.

Variolas naturæ eſſe inflammatoriæ, præter alia innumera quæ hanc veritatem illuſtrant argumenta, ut ex dicendis infrà patebit, hinc etiam innoteſcit, quod ea ſcilicet omnia quæ ſanguini inflammando et exagitando apta ſunt, in hunc morbum diſponere et inclinare agnoſcantur.

Nimia namque vini compotatio, exercitia vehementiora, graviora animi pathemata, ætas juvenilis, temperamentum ſanguineum, athleticum, fibrâ tensâ inſtructum, aer calidus et ſiccus, tempeſtas anni vernalis aut æſtiva, frigus perceptum; morbi alii inflammatorii nupèr prægreſſi, conſtitutio aeris epidemica procreandis febribus inflammatoriis aptiſſima, et alia hujuſmodi permulta humana corpora ad varioloſum contagium ſuſcipiendum et fovendum inclinant.

Urinæ ſuppreſſio totalis in variolis mediocri tempore, aut diutiùs perſeverans, niſi cubiculum bis tervè circumambulando,aut aliâ quâvis methodo idoneâ citò allevetur ; mortis ferè ſempèr prænuncia eſt.

Potum omnem in variolis reſpuere, et ſummâ cum difficultate liquorem deglutire, unà

unà cum ſtrepitu et ſibilo in pectore, et ſputi excreandi difficultate, niſi ex hoc deplorato ſtatu citò relevetur æger, lethale ſempèr obſervavi.

Die morbi undecimo in confluentibus aut cohærentibus variolis, ſi ſalivatio penitùs ceſſet, et facies ſubitò detumeſcat, nullo manuum aut pedum tumore ſupervenientе vel critico urinæ profluvio; ſed è contrà deglutiendi difficultate, dyſpnæâ, delirio, ſubſultibus tendinum, cum pulſu celeri, intermittenti, aut vacillante ſuccreſcentibus, de ægro ut plurimùm conclamatum eſt; niſi fortè fortunà epiſpaſtica recens applicata, enema emolliens injectum, ſanguinis è venâ jugulari, aut è brachio unciæ aliquot detractæ, et alexipharmacum medicamentum cum laudano vel diacodio commixtum, aut balneatio tibiarum et pedum in fotu aliquo calido emollienti ægrotantem ab orci faucibus eripiant.

Paregorica pleniori et reiteratâ doſi præſcripta, ſi quietem in hoc morbo nec ſpiritibus inferant, nec ſomnum inducant; malum quidem omen eſt, et plerumque lethale.

Qui pulſui in variolis nimìs fidunt, facilè decipiuntur; plures enim cum pulſu lauda-

bili cito mortuos fuiſſe, alios verò complures cum pulſu minimo, intermittente, inæquali, et vacillante felicitèr evaſiſſe expertus ſum.

Deglutitio mala, et frequentior inter bibendum tuſſicula, infarctis præſertim aut inflammatis pulmonibus, ſempèr ſuſpectæ ſunt, et ſemper timendæ; et ſi prædictis accedat inſupèr frequens mingendi deſiderium, cum irrito aut minùs felici urinæ excernendæ conatu; majus adhùc impendet mortis periculum.

Multos tamen prædictis ſymptomatis vexatos, et plures etiam infantes ac pueros variolis anomalis confluentibus, cum tuſſi convulſivâ enormi conſociatis laborantes, tutos evaſiſſe propriâ experientiâ compertum habeo.

Dies octavus in diſcretis benignis, et undecimus in confluentibus, aut cohærentibus, ſunt periculi pleniſſimi; et maxima pars horum qui his morbis trucidantur, circa præfatos dies, aut his ipſis diebus moriuntur.

Facies flaccida non intumeſcens, pallentibus puſtularum interſtitiis, phrenitis, et ægritudo horrenda die morbi octavo ſupervenientes, cum frequenti et irrito fere mingendi

di conatu, maximum in diſcretis et ſubitaneum indicant mortis periculum.

In hoc præcipiti caſu ſanguis liberali manu detractus, epiſpaſtica ſtatim applicata, et paregoricum medicamentum in cochl. aliquot julap cordialis temperati inſtillatum vel commixtum, et idoneâ doſi exhibitum, præfata quandoque ſymptomata debellabant.

Præmiſſâ hâc variolarum omnium, quas mihi durante hâc conſtitutione obſervare contigit, hiſtoriâ, nunc ad medendi methodum procedendum eſt.

Variolarum regularium, et anomalarum ætiologia, et curatio.

Ex prædictâ variolarum hiſtoriâ manifeſtè apparet, morbum hunc eſſe reverà inflammatorium. In quo verò præcisè conſiſtat hujus inflammationis natura, aut quibus præcipuè principiis primariis et eſſentialibus, ab aliis maſſæ ſanguineæ inflammationibus diſtinguatur, nemo hactenùs, quod ſciam, evidentèr demonſtravit.

Quidam ſanè magni nominis medici venenatum quoddam fermentum, in ſanguinem

nem et ſpiritus admiſſum, ipſius morbi, et ſymptomatum congenitorum cauſam ſtatuerunt. Hinc medendi methodum huic ſyſtemati innixam, ad ſuppoſitum ſcilicet venenum per alexipharmaca appropriata eradicandum, concinnarûnt.

Tantæ autem authoritatis pace, quærendum priùs foret, in quo ſita ſit antedicti veneni natura; ut hâc ritè intellectâ, certior deinceps minùſque fallax, ad antidotum appropriatam detegendum ſtatuatur progreſſus: alioquin enim timendum ſeriò eſt, nè nebulam pro Junone amplectentes, et ad genuinam morbi cauſam et ætiologiam inveſtigandam minùs attendentes, in eliciendis indicationibus legitimis, et medendi methodo huic morbo debellando accommodatâ inſtituendâ et excogitandâ turpitèr hallucinemur.

Et certè, ſi quid ego judicando valeam, morborum cauſas detegere, veros cauſarum fontes inveſtigare, earumque genium et naturam ſedulò explorare, ac præcipua rationum, quibus innituntur, momenta dilucidè explicare, aut ſaltem per ideam claram et diſtinctam animo concipere, ſolida ſunt et permanentia medendi fundamenta, ſine quibus nec ars medica ſubſiſtere unquam poteſt, nec æger à morbo tutò liberari. His etenim

etenim neceſſariis præſidiis deſtitutus qui praxi medicæ incumbit, empirico prorsùs modo medicinam faciens, non certiora in gravioribus morbis, aut ſolidiora ponit medendi fundamenta, quam navigandi jacet, qui præ artis imperitiâ, ad navem in oceano gubernandum, pyxide nauticâ non inſtructus ſe temerè accingit: Cum priori ex malè fundatâ, vacillante, et ancipiti praxi, non minùs impendeat ægrorum ſors atrox, aut interitus; quàm poſteriori huic à ſupervenientibus reflatibus et procellis, imminet maximum naufragii periculum; quia in utroque caſu non niſi fortuito admodùm et incerto nimìs eventu, malum ex æquo averruncandum eſt. Sed de hoc ſatìs.

Nonnè venenatum hoc miaſma, ſivè ab effluviis è terræ viſceribus erumpentibus, putridis excrementorum animalium, cadaverum, aut aquarum putridarum ſtagnantium exhalationibus et vaporibus, ſivè à diverſis corporum cæleſtium motibus et influentiis, vel ſenſibilibus aeris qualitatibus, ſivè ab harum omnium cauſarum concurſu, et hìnc natis aereæ atmoſpheræ ſtagnatione, et corruptione, ſivè deniquè ab effluvio contagioſo ex infecto et morbido corpore manante ortum, extrinſecùs invadat; aut ex ſex rerum non naturalium abuſu, nativo concurrente corporis temperamento, intrinſecùs generetur; ſal

ſal quoddam alkalinum ſummè volatile, ad animale quodammodò et propiùs forſan accedens, meritò habeatur?

Sal hoc ſummè volatile per ſalivam, vaſa abſorbentia, vel pulmonum vias in Sanguinem delatum, hujus mixturam & compagem diſſolvit, lædit, & variè afficit; Nativa Sanguinis ſalia attrahit, & corporum minimorum innumeras in vaſorum latera colliſiones, a nativo horum elatere & vi attractrice ortas, in indefinitum multiplicat. Hinc inteſtina maſſæ ſanguineæ fermentatio, et molecularum inflammatarum in liquido vitali, a ſalinarum partium attractione et fermentativo motu formatarum in corporis ſuperficiem propulſio, et exanthematum formatio.

Hinc fibroſarum molis Sanguineæ partium diſſolutio, Solidi continentis contractio, irritatio, criſpatura, oſcillatio, et intentus nimis elater. Unde pulſus celer, magnus, durus, quandoque parvus, celer, et inconſtans, reſpiratio frequens, & cita, delirium, ſitis, anxietas, vomitio, ægritudo univerſalis, hæmorrhagia, petechiæ, laſſitudo ulceroſa, ſpaſmodici dolores, ſubſultus tendinum, dolor capitis intenſus, lumbago excrucians, rheumatici, pleuritici, aut nephritici ſpaſmi, aliaque morbi verè inflammatorii indicia.

Quâ

Quâ autem ratione, inflammantis hujuſce miaſmatis antidotus, à medicamentis excalefacientibus, alexipharmacis dictis repetenda ſit, me omnino latet; niſi priùs per experimenta innoteſcat ignem igne, aut flammam oleo extinguendam eſſe.

Si enim urgeretur ſpiritus animales ab hoc miaſmate venenato variè affici, peſſundari, perturbari, opprimi, deleri, et in varios exploſivos motus compelli, pro veneni magis vel minus deleterii natura, et ratione; antidotum conſequenter veram et genuinam hujus veneni in eo ſolo conſiſtere, quo præcipuè ſpirituum vacillantium tonus et debita expanſio promoveantur: cumque methodus alexipharmaca præ aliis omnibus hunc ſcopum certiùs attingat; idcirco genuinam venenati miaſmatis antidotum, à regimine alexipharmaco et calidiori eſſe repetendam.

Huic argumento reſponderem, omnia venena quorum claram adhuc habemus notitiam, naturæ licet omnino diverſæ, et diſcrepantis, diverſaſque quantumvis antidotos agnoſcentia, in eo nihilominus convenire; quod ſingula ſpiritus animales variè afficiant, peſſundent, opprimant, deleant, et in varios perturbatos motus compellant. Ex-

perimentis tamen nihilominùs coacervatis certo conſtare, hæc venena, nec opiatis, aut veſicatoriis, nec potentiſſimorum et ſanguinem maxime excalefacientium alexipharmacorum remediorum uſu eſſe ſubigenda. Et conſequenter nullius veneni genuinam antidotum à regimine calido et inflammante eſſe merito repetendam.

Quis enim ægrum ab arſenicali vel mercuriali corroſivo veneno, aut à morſu canis rabidi, viperæ, vel tarantulæ, orto inquinatum, regimine calido et alexipharmacis medicamentis ſanatum unquam obſervavit? aut quis hiſce venenis ſuas peculiares diſtinctaſque denegavit antidotos? quamvis in morboſis et anomalis ſpirituum animalium affectionibus producendis ſingula conveniant.

Et quærerem inſuper quâ ratione evenit, ſi ſeminium varioloſum venenum ſit, quod variolæ diſtinctæ maximè regulares ita leves et benignæ ut plurimum obſerventur, ut à ſolâ naturâ adjuvante, abſque vel minimo fere artis adminiculo omnia ſua ſtadia felicitèr admodum, et abſque periculo percurrant? hæcne eſt veneni natura? ſi ita ſit; dentur venena naturæ humanæ ultra modum amica, oportet.

Si

Si autem reponatur, ſeminium varioloſum in ſuperiori tantum gradu, aut magis exaltatum, quale in variolis mali moris et confluentibus obſervatur, veneni titulum tantummodo commereri; non vero illud, quod mitiori morbo, et diſcretis benignis convenit: cum natura utriuſque ſit penitus diverſa, et à ſe invicem toto cælo et eſſentialitèr differant.

Quærerem iterum, ſi ita eſſentialitèr differant variolæ diſcretæ benignæ, et mali moris confluentes, tum reſpectu ſui, tum reſpectu cauſarum conſtituentium; ob quam rationem ſit, ut qui ex benignis diſcretis per inoculationem communicatis in epidemicâ aeris conſtitutione, variolis peſſimi moris confluentibus producendis aptiſſimâ, ſemel convaleſcit; non ſolum à confluentibus iſtis, durante prædictæ conſtitutionis vigore, et prædominio, nullo inquinabitur contagio; ſed durante inſuper vitâ, quantumvis in futurum ad plures annos protractâ, à truculentiſſimo quovis epidemicarum variolarum futuro contagioſo veneno ſalvus et incolumis tutò permanebit? quod quidem aliter evenire mihi videretur; ſi utriuſque morbi cauſæ ita à ſe invicem diſcreparent, ut variolæ diſtinctæ benignæ effluvio cuidam benigno et naturæ congruo,

confluentes vero mali moris miaſmati cuidam venenato, aut ipſi veneno originem debeant; quia in tantâ cauſarum diverſitate multo magìs rationi conſentaneum videretur, ut qui variolis benignis ſemel laboraret; febre ſcarlatinâ aut morbillis benignis in poſterum minùs affligeretur, ob majorem cauſarum morbos hos producentium affinitatem, indeque natam magis conſimilem paritèr ſanguinis inflammationem; quam confluentibus malignis: ob cauſarum utriuſque variolarum ſpeciei majorem diſcrepantiam jam ſuppoſitam, hincque ortas diſſimiles magis, et inter ſe repugnantes proprietates, et effectus.

Quia vero rem alitèr omninò ſe habere, quotidiana nos docet experientia; hinc demonſtrativè ſequitur non tam cum ficto hoc et ſomniato in variolarum curatione veneno; quam cum peculiari quâdam et huic morbo propriâ ſanguinis inflammatione medico eſſe decertandum.

A variâ hâc ſanguinis inflammatione, omnia variolarum ſymptomata, ſecluſis quibuſlibet venenis abſconditis, et qualitatibus occultis, evidentèr deducuntur; indicationes curativæ legitimæ eliciuntur; et medendi methodus accurata, eventu felici, et coa-

cervatâ

cervatâ complurium annorum obſervatione, comprobata inſtituitur.

Quâ ratione, ſingularem magni *Sydenhamii* ſagacitatem, et acerrimum in hujus morbi naturâ inveſtigandâ judicium nunquam ſatis mirari ſubit. Ille quippe vir magnus redivivus Hippocrates ſyſtemata mentalia flocci pendens, ad phœnomena practica, et conſtantes naturæ motus ſerio intentoque animo attendens, et naturam per omnia vel in minimis intuens; hiſtorias morborum ſpeciatìm variolarum accuratiſſimas tradidit, et ex diligenti repetitoque juvantium et lædentium examine, ſummâque in integro morbi genio obſervando patientiâ, prudentiâ, et ſagacitate, indicationes veras et genuinas elicuit, et medendi methodum feliciſſimam ſtabilivit. Quo certè nomine et communi hominum bono proſpexit, et præclaram ſui nominis memoriam, naſcituris per ſæcula adhuc futura medicis, magno cum honore excolendam demandavit. Sed ut ad propoſitum revertar.

Si tamen magnitudo aut pertinacia morbi venenum appelletur, latiùs multo patebit vocabulum; et omni morbo difficili aut periculoſo conveniet. In hoc ſenſu non tantum variolæ epidemicæ crudæ venenum pro genuinâ cauſâ agnoſcent; ſed pleuritides in-

ſuper

ſuper verè inflammatoriæ, peripneumoniæ, anginæ, et omnes verbo dicam viſcerum nobiliorum confirmatæ inflammationes. Quis autem neglectâ venæſectione debitâ, et reliquâ propriâ methodo antiphlogiſticâ, venenum hoc per alexipharmaca excalefacientia debellandum eſſe temerè affirmabit?

Sal illud alkalinum ſummè volatile variolarum cauſam ſuperius ſtatutum, molem ſanguineam variè afficiendo, agitando, et fermentando, hanc plùs minùs inflammare ex antedictis patet. A diverſis autem peculiaris hujuſce inflammationis gradibus, variolas benignas et plus, minus, malignas ortum habere, præter clariſſimi Sydenhamii authoritatem; repetitæ et coacervatæ plurium annorum obſervationes propriæ me inevitabilitèr cogunt, ut credam.

In diſcretis v. g. benignis à mitiori fermento et minus volatili, mitior oritur inflammatio, à naturâ faciliùs regenda, et poſt debitam trium dierum coctionem ac ſeparationem, molecularum inflammatarum quarto morbi die in corporis ſuperficie critica eruptio.

In regularibus confluentibus à fermento in quantitate excedente, ſed qualitate ſeu volatilitate mediocri, inflammatio multò magìs univerſalis, non tamen nimis laceſſens aut

aut naturam à debitâ coctione avertens, et poſt legitimam ſubactionem, et ſeparationem, particularum inflammatarum tertio morbi die in corporis peripheriam critica propulſio.

In crudioribus vero variolarum ſpeciebus, à nimiâ et incredibili alkalini miaſmatis volatilitate, intenſa nimìs et maximè colliquans, irritans, efferata, et laceſſens ſanguinis inflammatio.

Pro majori vel minori etiam prædicti fermenti quantitate; variolæ crudioris aut benignioris naturæ, vel diſtinctæ, vel confluentes, aut cohærentes obſervantur.

A prædicti alkalini ſalis activâ nimis et irritante volatilitate, natura penitùs laceſſita et à coctione avocata, materiam crudiſſimam et penitus inconcoctam ipſo ſæpè primo invaſionis morbi die, ad cutem demandat.

Hinc diſſolutâ penitùs, et colliquatâ inflammationis vi ſanguinis compage; hæmmorrhagiæ univerſales, deliria, phrenitis, comatoſi affectus, petechiæ rubræ, purpureæ, nigræ, tonſillarum, et gutturis dolor inflammatorius, diarrhæa, vomitiones, tuſſis catharralis, ptyaliſmus, profuſa ſeri aquoſi per

glandulas

glandulas renales evacuatio, puſtulæ crudæ, ſeſſiles, ad maturandum ineptæ, ſero crudo limpido, quandoque et aere ſolo refertæ, cæteraque periculoſi et maligni hujuſce morbi ſymptomata naſcuntur.

Variolarum hujus proſapiæ motus et naturam mihi ſæpiùs animo revolventi, haud ſemel profectò occurrebat, alkalinum hoc miaſma nimiâ ſuâ volatilitate id in humano corpore, aut quid ſaltem ſimile præſtare; quod purgantia nimis acria medicamenta in morbis inflammatoriis, contra magni *Hippocratis* præceptum, perperàm exhibita præſtare ſolent: cum carthartica iſta naturam nimis irritando, et laceſſendo, colliquationes et metaſtaſes humorum, lethales viſcerum inflammationes, et ſphacelationes producant.

Ex dictis manifeſtè apparet primo, morbi varioloſi malignitatem, cum in inflammatione ſita ſit, remediis alexipharmacis ſanguinem ulterius adhuc exagitantibus magnoperè exacerbari: quia ab hujuſmodi calido regimine colliquativus ſanguinis ſtatus, à quo natura jam ante, plus debito laceſſita eſt et irritata, mirum in modum adaugetur. Secundo, hujus malignitatis appropriatum remedium illud eſſe, quod alkalini toties repetiti miaſmatis volatilitatem, et colliquantem

paritèr

paritèr ac laceſſentem ejus virtutem retundat.

Quia verò alkalina volatilitas et putreſcentia inde orta, nullo alio remedio aptiùs et feliciùs amoventur, quam copioſo et liberali liquorum ſubacidorum uſu; hinc ſingularem ſolertiſſimi Sydenhamii doctrinam ſummis laudibus commendo, qui conſtantem et repetitum ſpiritus vitrioli in vehiculis idoneis uſum, ad putridam, colliquantem, et malignam hujus morbi indolem ſubigendum excogitavit. Cujus quidem excellentis remedii eximias virtutes ad hunc morbum debellandum, et ſymptomata ejus maximè anomala avertendum, ſæpiſſimè expertus ſum.

Ab hujus medicamenti uſu, petechias nigras, et purpureas, hæmorrhagias univerſales, et particulares maligno huic morbo ſupervenientes, eventu feliciſſimo ſublatas multotiès notavi. Unde et mihi veri ſpecifici, ſi adhuc tale in variolis cognitum fuiſſet, quod tamen (legitima medendi methodo exceptâ) à nemine hactenùs exploratum novi, titulum et characterem præ omnibus quibuſcunque alexipharmacis, in hiſce morbi circumſtantiis exhibendis, aptè ſatis commereri videtur; cum putredinem arceat, et ſolutam nimis ſanguinis compagem conſolidet, firmet, et corroboret: undè et naturæ

ad morbum debitè concoquendum, et fomitem contagioſum gradatìm ſubigendum, tempus & occaſio dantur opportuna.

In variolarum curatione tria præcipuè indicantur: Primum, ut febris primaria non ita evehatur, ut præcipitem nimis materiæ varioloſæ ſeparationem acceleret, vel aſſimilandi facultatem adaugeat; nec ita præter modum torpeat, ut à nimìs languido ſanguinis motu et ebullitione, genuina et univerſalis materiæ morbificæ concoctio opportuno tempore præpediatur, aut retardetur.

Secundum, ut puſtulæ in cutem criſi legitimâ propulſæ ita ſuſtineantur, ut ſtadia debita percurrentes, ad juſtam maturitatem perveniant, et ritè demùm evaneſcant.

Tertium, ut putridæ febris ſupervenientis effectus pravi, et periculoſa ſymptomata, in quantum fieri poteſt, præcaveantur, et amoveantur. His indicationibus ſatisfacturus, methodum ſequentem felici & reiteratâ experientiâ confirmatam inſtitui.

Apparentibus imminentium variolarum ſignis diagnoſticis in juvenili & florenti ætate, habitu corporis plethorico, temperamento ſanguineo, vino aut exercitiis vehementioribus

bus addicto, tempore præſertim vernali, aut ſub æſtatis initium, ſivè præfata ſigna cohærentes, ſivè confluentes, aut etiam diſtinctas futuras præmonſtrent; modò febris, dorſi dolor, delirium, jactatio inquieta, pulſus durus, frequens, & magnus, aliaque ejuſmodi ſymptomata ad conſpicuum magìs gradum evehantur; ſanguinis unciæ circitèr decem è ſaphænâ aut brachio, horâ aliquâ matutinâ adulto ſtatìm detrahuntur.

Eodem veſperi, ſi occaſio præceps fuerit, alioquin die inſequenti, ægro ad vomendum inclinanti hauſtus emeticus è granis triginta vel quadraginta rad. ipecacoan. ſubtiliſſimè tritæ diſſolutis in cochl. aliquot infus. flor. chamæmel. adulto propinatur; & emetici operatio repetitis prædictæ infuſionis hauſtibus promovetur; quâ tandem abſolutâ, ſi alvus adhùc ſtipata permaneat, enema emolliens injicitur; nec abs re fuerit ut horâ ſomni, ſi delirium, aut alius quivis ſanguinis orgaſmus hoc indicet; paregoricum propinetur: obſervando tamen quod, ſi certa ſint variolarum diſcretarum benignarum erupturarum criteria, nec manifeſta interìm appareant plethoræ indicia, emeticum in tali caſu & venæſectionem tanquam ſupervacanea omittenda crediderim.

Ad ſanguinem diluendum & contempe-

randum, ac ſolutam nimìs hujus liquidi compagem firmandum & condenſandum, liberalis liquorum ſubacidorum diluentium uſus in potum ordinarium conceditur. Liquores hi ſunt ſerum lactis limpidiſſimum cum ſucco limonum, aurantior. vel aceto vini optimo paratum ; aqua hordei, cereviſia tenuis, aut ptiſana ex hordeo, liquiritiâ, paſſulis, radicibus acetoſæ, graminis, cum ſucco limonum aut aurantiorum acidulata ; vel in ſolutâ magìs ſanguinis compage, cum petechiis purpureis, luridis, aut nigris, hæmorrhagiâ univerſali, aut particulari, vel etiam phrenitide conſociatâ, prædicti liquores cum ſpiritu vitrioli prædictorum ſuccorum loco, ad gratam aceditatem inſtillato commiſcentur. Horum liquorum frequentior uſus in apparatu confluentium, aut cohærentium regularium vel anomalarum, et diſcretarum tantum anomalarum, præ cæteris indicatur: in diſcretis enim benignis, liberalior horum liquorum uſus aut ſupervacaneus eſt, aut minùs ſaltem neceſſarius.

Senes, hyſterici, hypochondriaci, ſtudioſi, infantes, morbo aliquo diuturno præcedenti attriti, ſi hyemali præſertim vel autumnali tempore in variolas incidant, niſi adſint peculiaria quædam intenſioris ſanguinis inflammationis, aut ægritudinis ſtomachi indicia ; nec venæſectionem, nec emeticum in morbi

morbi apparatu aut poſtulant, aut tutò tolerant. Si autem aut inflammatio, aut ægritudo inſignior • prædictis accedat; aut venæſectio, aut emeticum, aut utraque ſimul, pro diverſâ circumſtantiarum ratione & rei exigentiâ, debito ordine & tempore commodè ſatìs in uſum vocantur.

Diarrhæa ante, vel poſt variolarum eruptionem ultrà modum infeſtans, liquorum ſubacidorum uſui magìs liberali contraindicat; & horum loco decoctum album, lac cum aquæ triplo coctum, decoctum rubicundum, aut tincturam roſarum rubrarum in potum ordinarium ſubſtitui deſiderat.

Æger nec congeſtis præter conſuetudinem ſtragulis, nec aere nimìs excalefacto, vel præpoſtero ſudorificorum aut calidi regiminis uſu, ante, vel poſt variolarum eruptionem abſque ſummâ injuriâ, & manifeſto vitæ diſcrimine torretur.

Quandò tamen ob ſuſceptum frigus, dum æger aeri frigido nimìs temerè exponitur; ob nimiam ſanguinis jacturam, dum, morbo pro genuinâ pleuritide propter quandam ſymptomatum analogiam imperitè tractato, quòd aliquandò factum notavi, phlebotomia ſæpiùs & plus debitò celebratur; vel ob catharſin ex aliis erroribus perperàm inſtitutam; natu-

ra

ra ita peſſundatur, ut debitam variolarum ſeparationem, aut eruptionem promovere nequeat; julapiis cordialibus temperatis, ſero lactis canarino cum aquâ diluto, & repetitâ, ſi opus fuerit, veſicatoriorum applicatione elanguidum nimìs ſanguinis motum reſuſcitare, & novas naturæ oppreſſæ, & malè mulctatæ ſuppetias afferre ſatago.

Prædictis caſibus exceptis, ſi juniores præſertìm, ætate florentes, ſanguineo temperamento præditi, & nullo alio præcedenti morbo laceſſiti fuerint ægri; natura ſibi relicta, regiminis temperati beneficio concoctionem legitimâ ebullitione diutiùs moliens, certiùs & feliciùs ſeparationem abſolvit; undè felicior curationis eventus, & morbi exitus. Nec ſudorificis igitur, nec diaphoreticis, ad variolarum eruptionem ante debitum tempus promovendum perperàm adminiſtratis, ſanguinis ebullitio ultrà modum evehenda, aut ſeparatio completa & legitima, nimiâ præcipitatione interrumpenda eſt.

Tempus vernale, florens & juvenilis ætas, liberalior vini & liquorum ſpirituoſorum uſus prægreſſus, temperamentum ſanguineum, frigus ſuſceptum, quod eſt è cauſis morbi procatharticis, ſolida nimìs intenta, delirium, mictus ſanguineus, petechiæ purpureæ, rubræ, luridæ, vel nigræ, hæc in-
quam

quam ſivè aliqua, ſivè omnia ſimul, ſi febrem primariam antecedant, & concomitentur; à regimine præfervido tanquam à veneno truculentiſſimo abſtinendum eſſe indicant.

Prædicta omnia in primo morbi ſtadio venæſectionem copioſam, liquorum refrigerantium ſubacidorum & diluentium uſum liberaliorem pro potu ordinario, exemptionem è lecto diurnam, ſpiritus vitrioli uſum minùs parcum, & paregorici exhibitionem legitimam neceſſariò requirunt.

Ab officioſâ & nimìs ſatagente mulierculaɾum, & empiricorum induſtriâ, in extorquendis per ſudorifica & diaphoretica remedia, congeſtaque nimìs ſtragula, morbi initio tum ante, tum poſt eruptionem, ſudoribus, concipi vix poteſt quot phrenitides, & deliria horrenda, quot purpureas, luridas, & nigras maculas, quot hæmorrhagias univerſales & particulares, comatoſos affectus, ſubſultus tendinum, diarrhæas colliquativas, quantam denique variolarum crudiſſimarum confluentiam, aliaque horrendæ colliquationis ſymptomata, frequentiſſimæ mortis prænuncia ſuperveniſſe obſervaverim; & quot etiam trucidatos à præfatâ nefandâ methodo noverim; quorum complures ſaltem, ſi regimine oppoſito tractati fuiſſent, in vivis forſàn adhuc ſubſtitiſſent.

Æſtivâ

Æſtivâ & vernâ tempeſtate, ætate florentes confluentibus aut cohærentibus variolis correpti, per aliquot ſaltem in die horas è lecto deſumendi ſunt, ad ſextum uſque morbi diem; niſi ægritudo aliqua inſignior, animi deliquium, ſpaſmi, vel aliud quodvis permoleſtum ſymptoma contrarium indicent.

Qui diſcretis laborant benignis, hi nec liquorum ſubacidorum diluentium pleniori copiâ opus habent; nec à lecto, ſi eodem delectentur, diurno tempore arcendi ſunt. Quinimò infantes & pueri, ſpaſmis variolarum eruptionem præſagentibus correpti lecto ſtatìm committi debent; & emplaſtro epiſpaſtico ad nucham priùs applicato, hauſtus dein paregoricus ex aquis ceras. nigr. lactis alexiter. cum tantillo diacod. pro ætatis ratione conflatus ſtatìm propinetur, oportet.

Tempeſtate æſtivâ præfervidâ, recentis aeris in cubiculum quo jacet æger, cautus ſaltem ingreſſus admittendus eſt; ita tamen ut nec hoc, nec alio quovis ſivè in lecto, ſivè extrà lectum regimine, frigoris vel minimis injuriis exponatur ægrotans, aut nimio calore torreatur.

Debiles, infirmi, hypochondriaci, hyſterici, ſenes, infantes, & alii ejuſmodi, tametſi

ſi confluentibus ipſis aut cohærentibus variolis corripiantur, lecto tamen ſtatìm adjudicandi ſunt; nec ipſos etiam juvenes, hyeme aut frigidâ tempeſtate inſtante, à lecto ullatenùs arceo: quinimò aer cubiculi in tali caſu luculento igne calefieri debet, & æger pro frigidæ tempeſtatis rigore, aut conſuetudinis dum ſanus fuerit ratione, ſtragulis in lecto opportunis plùs minùs denſis aut numeroſis operiri.

Pediluvia emollientia à morbi principio ſæpiùs repetita, ad præcavenda deliria, humores à capite revellendos, tonum ſolidorum nimìs intentum relaxandum, debitam variolarum eruptionem et maturationem promovendam, inflammatoriam ſanguinis diatheſin demulcendam et contemperandam, ac puſtularum numerum, quantitatem, et confluentiam imminuendum plurimùm conferunt. Et in hunc paritèr ſcopum enemata emollientia, ſtipatâ præter modum alvo, pro re natâ injicienda et repetenda potentèr collimant.

Si præmiſſis non obſtantibus phlebotomiâ et emetico; diarrhæa horrenda, delirium immane, vigiliæ pertinaces, ægritudo univerſalis, animi deliquia, lumborum vel dorſi dolores ſpaſmodici, variolarum eruptionem aut præceſſerint, aut retardaverint; veſicatori-

um amplum ſatìs et acre inter ſcapulas illicò applicatur, & hauſtus paregoricus prælargâ doſi propinatur. Hujuſque quantitas eoùſque ſensìm, et debitis intervallis augeri debet, donec ſedatis ſymptomatis finem intentum attigerit.

Paregorica quorum felices effectus in hoc morbo expertus ſum, ſunt *laudanum liquidum ſydenhamiatum & ſyrupus de meconio* in vehiculis idoneis, aquis ſcilicet cordial. ſtillat. ſolut. Pro diverſâ ægrotantium idioſyncraſiâ, morbi indole, et medicamenti efficaciâ, laudanum ſyrupo ſubſtitui poteſt, aut vice verſâ. Quandoque paritèr L. L. guttæ aliquot cum ſyrupo conſociatæ feliciores ab unitis utriuſque viribus effectus producunt. Horum quantitas pro ſymptomatum ratione, et medicamenti effectu amplianda eſt: certam enim paregorici doſin ſtabilire difficillimum eſt; cum hæc ſemper à ſymptomatum vehementiâ, et medicamenti virtute aut efficaciâ, in propoſito ſcopo ſeriùs ociùs attingendo pendeat, et præcipuè æſtimanda ſit. Cautè tamen obſervari debet, ut à mediocri horum doſi ſempèr ordiendo, gradatus ſensìm fiat in eâdem augendâ aſcenſus, ita tamen ut per opportunam inter ſingulas doſes temporis interjectionem, luculentèr innoteſcat quodnam prior doſis præſtiterit, antequam ad alteram perveniatur. Nec hoc etiam minùs

nùs ſedulò advertendum, quòd paregoricum minori quam par eſt doſi exhibitum, violentiori utpote ſanguinis et ſpirituum orgaſmo coercendo prorſùs impar, humorum maſſam ulteriùs tantùm et incaſsùm exagitando, ſymptomata quibus debellandis et ſedandis deſtinabatur, hæc eadem penitùs exacerbet.

Prædicti epiſpaſtici, et paregorici, in variolarum cohærentium, confluentium, et diſcretarum etiam anomalarum apparatu, feliciſſimos effectus frequentiſſimè obſervavi. His namque remediis non tantùm diarrhæa et delirium felicitèr ſupprimuntur, ſed quæ inſuper erumpentibus primo puſtulis, cohærentium aut confluentium formam induebant, prædictorum remediorum et temperati regiminis beneficio, in diſcretarum caſtra felici admodùm eventu multotiès migrabant; et ſingula deinceps morbi ſtadia auſpicatò percurrentes felicitèr terminabantur.

Poſt completam variolarum in genere diſcreto et regulari eruptionem, huic tantum incumbo, ut diætâ convenienti, juſculis v. g. hordeaceis, avenaceis, panatellâ, pomo cocto, ſero lactis, lacte cum aquæ triplo cocto, emulſione amigdalinâ, cereviſiâ tenui, et cæteris ejuſmodi diluentibus et reficientibus, æger ſedulò et debito ordine refocilletur.

Superveniente diarrhæâ maturationis tempore, decocto albo pro potu ordinario, juſculis orizatis, et panatellâ, aut gelatinâ C. C. in diætàm uſurpatis, hauſtu paritèr cordiali paregorico horâ ſomni exhibendo, et enemate reſtringenti, eandem ſiſtere ſatago.

Radix tormentillæ in potu ordinario cocta, cochl. duo decocti *Fracaſtorii* ſextâ vel octavâ quâque horâ repetita, panis cum lacte aquâ diluto coctus comeſtus, quantitate pro unicâ vice parvâ exhibendus, et bis in die ad ægri vires ſuſtentandas repetendus, in hunc finem plurimùm conferunt.

Facies in diſcretis die circitèr octavo, à regimine præfervido prægreſſo, et ſudoribus vi quâdam hinc extortis, flaccida et minimè in tumorem debitum elevata, pallor in puſtularum interſtitiis, unà cum ægritudine inſigni, frequenti mingendi deſiderio, et magnâ in phrenitidem propenſione, mortem ægri ſubitò futuram præmonſtrant.

Miſſio ſanguinis è venâ jugulari, aut ſaphænâ liberalior, epiſpaſticum amplum et acre ad nucham, duo etiam alia ad brachia interna, aut carpos ſupra pulſus applicata, hauſtus paregoricus eodem ferè tempore exhibitus, et enema emolliens, ſi alvus ſti-

pata fuerit, injectum, fatalem in hoc caſu diem præ aliis quibuſlibet averruncant.

Si ægritudo aliqua inſignior, aut minima n diarrhæam propenſio, à primâ diſcretarum i ariolarum eruptione, aut in morbi progreſſu ægrum diſcrucient; hic cochlear. duobus aut circitèr julapii cordialis temperati pulveribus alkalinis ſaturati, ſextâ vel quartâ quâque horâ exhibendis refici debet; et paregoricum paritèr ſemel aut bis, debitis interjectis intervallis, hâc eadem occaſione pro rei exigentiâ propinandum.

Puſtulis areſcentibus, eaſdem oleo amigdal. dul. ſubindè illiniri, hauſtum ſeri lactis canarini ſextâ vel octavâ quâque horâ exhiberi, et cochlear. unum aut alterum vini canarini cum panatellâ vel juſculo hordeaceo aut avenaceo ſubindè commiſceri volo.

Morbo progrediente, ſi dolor inflammatorius faciei, manuum, aut in plantis pedum quietem nocturnam interrumpat; hauſtus paregoricus horâ ſomni ſumendus, et pro re natâ noctibus inſequentibus repetendus præfatam querelam amovebit.

Puſtulis deſquamatis et evaneſcentibus, æger leni cathartico, debitis interjectis intervallis, bis terve purgandus eſt, et poſt primam

mam purgationem, ad priſtinam gradatìm diætam relegandus.

In apparatu variolarum cohærentium aut confluentium, perperàm vi aliquâ propelluntur puſtulæ, quia æger vehementèr laborat; quandoquidem univerſalis hæc ægritudo et anxietas ſunt genuini naturæ motus, materiam morbificam ſubigentis et concoquentis; quæ quidem natura ſui juris facta, eandem debitè præparatam opportuno tempore ſeparat, & ad cutem demandat.

Remedia igitur cardiaca & regimen juſtò calidius, ad variolas præmaturè exturbandas inſtituta, eruptionem non tantùm quandoque non accelerant, quinimò eam ſæpiùs retardant. Hinc puſtularum erumpentium loco, maculæ ſæpè purpureæ, ſanguinis mictus, aut aliæ graviores hæmorrhagiæ à memorato regimine oriuntur. Cum vice verſâ regimen temperatum, ſtragula moderata, recentis aeris fruitio, abſentia ad aliquot in die horas à lecto, liquorum ſubacidorum liberalior uſus, & paregorici opportuna pro ſymptomatum urgentiâ miniſtratio, quietem humoribus conciliando deſideratum finem auſpicatò aſſequantur.

Confluentibus & cohærentibus variolis ad cutem propulſis; æger liberali adhùc prædictorum

dictorum acidulatorum liquorum uſu ſanguinem diluat, firmet, & contemperet, oportet. Et ad maturitatem puſtularum ulteriùs promovendam, ſerum lactis dulce, emulſio amigdalina, aut lac cum aquæ triplo coctum, quandoque & ad libitum, in potum ordinarium ſubſtituuntur.

Die morbi ſexto, aut maturiùs, ſi diarrhæa, delirium, vigiliæ pertinaces, aut alia quævis ſymptomata anomala eundem indicent; hauſtus paregoricus horâ octavâ vel nonâ veſpertinâ ſumendus ægro exhibetur, ſingulis dein noctibus, ad morbi uſque exitum, repetendus.

Salivatio interim promovetur uſu gargariſm. è decoct. hord. paſſul. fic. liquir. cort. ulmi, fol. agrimon, veronic. ſcabios. in aq. font. ſ. a. ppt. colatur. libr. duabus diſſolvendo mel. roſac. & oxymel. ſimpl. ā. uncias tres.

Ad faucium & gutturis dolorem inflammatorium ſedandum, catapl. emolliens è rad. alth. & lilior. alb. fol. malv. flor. roſar. rubr. melilot, ſemin. lini et fænugrec. croco, milleped. albo græco in lacte ad ſpiſſiorem paulò conſiſtentiam coctis ſuper affuſo olei lini tantillo, in ſacculo laneo content. parti affectæ exteriùs calidum applicetur, et

ſæpiùs

ſæpiùs renovetur, vel cataplaſm. è mille-ped. viv. croco, et alb. græc. in mortario marmor. contuſ. cum mel. roſac. et aq. regin, hungar. ā. par. eq. ad debitam conſiſtentiam commixt. parat. modo prædicto applicari poteſt.

Horum eximias virtutes in dolore gutturis inflammatorio et permoleſto, hunc morbum concomitante amovendo, frequenter expertus ſum. Cavendum tamen ſedulò, nè ab elabente ſalivâ, aut liquore inter bibendum quocunque, ita humectatus fuerit ſacculus cataplaſmate refertus, ut periculum ſit, nè à ſuſcepto indè frigore, æger tuſſiculâ vel raucedine afficiatur; quod ut evitetur malum, ſacculus ſæpiùs renovandus calidè admodùm applicari debet.

Ad ſpiritus refocillandum, capiat æger cochl. duo vel tria, quartâ quâque horâ julap. ſequent. R. aq. ceras. nigr. meliſſ. flor. calendul. lact. alexit. ā. uncias iii. aq. epidem. ſcord. et peon. compos. ā. ſeſquiunciam. ſyrup. carioph. et è limon, ā unciam unam. m. f. jul.

Diæta ſint juſcula avenacea, hordeacea, panatella, cum cochl, uno vel altero, vini canarini pro ægri languore, et pulſus conditione, ſucco etiam aurantiorum, et ſaccharo albo

albo ad gratum ſaporem condita, Pomum coctum cum lacte commixtum, vel panis cum lacte modicâ aquæ quantitate diluto coctus. Urgente diarrhæâ, panatellâ, gelatinâ C. C. orizatis, aut pane cum lacte cocto tantummodò veſcantur varioloſi; & decocto albo aut lacte cum aquæ triplo cocto pro potu ordinario utantur.

Ad diarrhæam huic morbo ſupervenientem ſiſtendum, plurimùm valent rad. tormentil. in potu ordinario decoquenda, decoctum rubicundum, emulſio arabica, decoctum *fracaſtorii*, tinctura roſar. rubr. enema reſtringens pro re natâ injiciendum, et hauſtus paregoricus opportunâ doſi miniſtrandus; & pro rei exigentiâ repetendus.

Veſicatorium amplum et acre inter ſcapulas die morbi nono applicatum, gutturis dolorem et diglutiendi difficultatem allevat: maturationem puſtularum opportunam promovet: delirium præcavet: materiæ purulentæ portioni exitum parat perfacilem: faciei intumeſcentiam invitat et protendit: fluxum humorum à glandulis pharyngis, laryngis, & tracheæ arteriæ derivat: & ſuffocationis die undecimo futuræ periculum imminuit, & averruncat.

Ad paroxyſmum veſpertinum permoleſtum huic morbo familiarem præcavendum; hauſtum paregoricum horâ quintâ vel ſextâ veſpertinâ ſumendum, &, ad quietem humoribus conciliandum, ac ſpirituum ataxiam cum ægritudine univerſali, anxietate, & jactatione conjunctam compeſcendum; duodecimâ, octavâ, aut ſextâ ſæpè quâque horâ, pro majori ſcilicet, vel minori ſuppullulante ſanguinis & ſpirituum orgaſmo, ad plures ſucceſſivè dies repetendum, injungo.

Imminutâ, quod fieri ſolet, die morbi decimo circà finem, ſalivatione; & facie aliquatenùs detumeſcente; ad mortis periculum à totali ptyaliſmi die undecimo futurâ ſuppreſſione, & faciei integrâ detumeſcentiâ oriturum præcavendum; manuumque intumeſcentiam accelerandum & continuandum; veſicatoria duo carpis ſuprà pulſus ſtatìm applicantur. Et ſi facies ſubitò flacceſcat; ſalivatio penitùs ſupprimatur; ſaliva nimìs viſcida ſit cum imminenti ſuffocationis diſcrimine; manibus nondum intumeſcentibus, et ægro intereà delirante; in his rerum anguſtiis, ſanguis è venâ jugulari, aut brachio liberali manu detrahitur; & ad invitandum pedum intumeſcentiam, et revellendos à cerebro et partibus ſuperioribus humores, præmiſſo fotus alicujus emollientis uſu, epiſpaſtica duo tibiis internis admoventur; enematum emollientium,

ſi

ſi alvus minùs ſoluta fuerit, uſus commendatur; et gargariſmus ſuprà deſcriptus, aut è cereviſiâ tenui, vel aquâ hordei, cum mel roſac, & oxymel. ſcillit. conflatus, ſyringâ ſæpiùs in fauces ſedulò et debitè injicitur. Turunda etiam rigidior butyro recenti non ſalito, vel oleo amigdal. dul. ſufficientèr imbuta, in nares ſæpiús introducitur, ad puſtulas aridas et cruſtoſas emolliendum, aeriſque hâc viâ in pulmones ingreſſum facilitandum.

In potum jam ordinarium inſtituitur cereviſia tenuis cum ſucco aurantiorum acidulata, quæ quidem præ aliis omnibus liquoribus, ſalivationi, ſi id fieri poſſit, reſtituendæ maximè confert. Ad cordis dolorem aut ægritudinem ſupervenientem amovendum, et ægrum in hoc agone refocillandum, hauſtus ſeri lactis canarini tertiâ vel quartâ quâque horâ, aut etiam frequentiùs, ſi virium debilitas et pulſus languor id indicent, conceditur. Ad hunc paritèr ſcopum confert pulvis cordialis è lapid. goan. contrayerv. antimon. diaphoret. croc. coccinel. et ſimilium part. æq. compoſitus. hujus ſubtiliſſimi pulveris gr. xv. xx. aut xxx. pro diverſo ægrotantis languore exhiberi debent ſtatis horis, diſſolut. in cochl. iii. julap. cordial. vel ſeri lactis canarini.

Liberalior acidulatorum liquorum potatio, et repetita ac ſucceſſiva epiſpaſticorum applica-

tio, ita ut exſiccatâ unâ excoriatâ parte, altera pure vel ſero ſcateat, ad variolarum maturationem promovendum, febrem putridam amovendum, pulſum corroborandum, impetuoſos morbi inſultus repellendum, et ſymptomata omnia anomala confluentibus aut cohærentibus variolis ſupervenientia præcavendum, mira præſtant. Gracilibus autem et macilentis corporibus, frequentior horum applicatio minùs convenit.

Solida nimìs laxata ſtimulando et contrahendo reſtituunt: maturationem exanthematum debitam accelerant; Coagulationes humorum præcavent: Purulentæ materiæ in ſanguinem regreſſum inhibent: Quò natura tendit, verſus ſcilicet corporis circumferentiam, eò oſcillationes excitando, ducunt: Et febris putridæ fomitem et pabulum ſubtrahunt.

Spiritus oppreſſos et enecatos reſtaurant, excitant, et vivificant; Sanguinem concretum, grumoſum, et putridum attenuant, dividunt, & ad debitum tenorem reſtituunt; Secretiones adaugent: urinæ fluxum promovent: & ad magni *Hipp*, præceptum opportunè quadrant.

Hæc

Hæc inſupèr remedia id frequentiſſimè emolumenti habere obſervavi, quòd in febris putridæ huic morbo familiaris amolitione, medicamentorum alexipharmacorum viribus et effectibus æquipolleant, abſque vel minimo horum, quæ à regimine alexipharmaco interno ſæpiùs oriuntur, inſequenti incommodo.

Hujus quidem effectus ratio, a nullo, quod ſciam, recentiori philoſopho tam opportuna datur; quam à medicorum *Romulo Hippocrate* olim tradita eſt.

Ille namque ſingulari ſuâ ſagacitate, et ingenij acumine certior factus, naturæ motus in morbis acutis concoquendis & amovendis, non minùs certos & conſtantes eſſe, quàm ſunt hi, qui in ſtatu ſanitatis obſervantur; medicis poſt ipſius fata naſcituris præcepit, ut quo natura vergat; eò ducatur: probè noſcens, talem motum naturæ utpotè propoſito conſonum & amicum, nullos in ipſius gremio excitaturum tumultus; cum materiæ morbificæ debellandæ & expellendæ, unitis & conjunctis cum naturâ viribus conferat; & cùm illâ ad eandem metam rectâ viâ & ſine luctâ vel confuſione tendat: Hincque nulla violenta flamma, aut inteſtina incendia in naturæ penetralibus excitentur.

Quod autem natura in ſubigendis variolis conſtantèr vergat ad corporis ſuperficiem, hinc evidenter patet, quòd quò perfectiùs et univerſaliùs eruptio promoveantur et puſtularum maturatio, eò certiùs et feliciùs victoriam reportet, et morbum debellet. Hoc etiam luculentiùs adhùc apparet ex eo, quod variolæ nullo alio unquam modo, quam per criticam puſtularum eruptionem et maturationem, felicitèr ut plurimùm fuerint terminatæ.

Quia igitur veſicatoria, diverſis corporis humani partibus applicata, cutem et excretoria glandularum vaſa ſtimulando, ſolidorum oſcillationes excitant; et fluidorum ad partes ſtimulatas fluxum et derivationem invitant; undè materiæ purulentæ in ſanguinem, puſtulis incruſtatis, alioquin regreſſuræ, per aperta glandularum excretoria vaſa exitus patet opportunus: Hinc febris putridæ fomitem et pabulum ſubtrahendo, naturæ motum et conamen, morbum per corporis ſuperficiem amandare ſatagentis, ſuppetiis addititiis ad eandem omninò metam collimantibus corroborant, et confirmant.

Quandoquidem autem peculiaris illa et propria, quâ in ſubmovendo quovis morbo acuto natura utitur methodus, nuſquam

à

à medico quantumvis experto et ſagaci, tam facilè et certò explorari poteſt, quam in his febribus, quæ certâ aliquâ et peculiari exanthematum eruptione conſtantèr et perpetuò ſtipantur; quia conſtans hæc et critica materiæ morbificæ in cutem propulſio ſenſibus obvia, ne vel minimum de genuinâ naturæ methodo deinceps dubitandi locum relinquit; ita mihi ſæpius cogitare ſubijt, veſicatoriorum applicationem in nullâ febrium epidemicarum ſpecie, feliciores forſàn producturam effectus, quam in variolis, aliiſque etiam febribus acutis, certâ aliquâ cuticulari eruptione diſtinctis; modò tamen hujuſmodi applicatio aliundè neceſſaria fuerit, et legitimè indicata.

Prædicta epiſpaſtica, ſale quo ſcatent volatili et ſtimulante, ut ſuprà obſervatum eſt, genuinum in omnibus naturæ motum confirmant, et adjuvant; cum alexipharmacorum excalefacientium ingeminatus uſus, conſtantes et regulares naturæ motus, morbi materiam ad corporis peripheriam propellentis, è rectâ viâ, in obliquos et amfractuoſos tramites ſæpiùs deflectat.

In primo confluentium, cohærentium, et diſcretarum anomalarum apparatu, venæſectio et emeticum præmitti debent, ægro ætatis florem nondum prætergreſſo;

et

et vernâ aut æſtivâ tempeſtate inſtante, è lecto ad aliquot ſaltem horas quotidiè eximi debet, ad ſextum uſque morbi diem.

Si diarrhæa, phrenitis, delirium, ægritudo horrenda, vel ſpaſmodici dolores eruptionem præpediant; paregorica et epiſpaſtica methodo ſuprà dictâ, commodè ſatis in uſum adhibentur; niſi tamen hæmorrhagia aliqua inſignis cantharidum applicationem poſtponendam ſuadeat; quo in caſu, omiſſis pro hâc vice epiſpaſticis, ad ſubacidos et diluentes liquores ſuprà memoratos affatìm hauriendos ſummâ ſedulitate procedendum eſt.

Spiritus vitrioli, præ aliis quibuſcunque acidis, in hoc morbi ſtadio eligendus eſt; quia volatilitatem contagioſi alkalini miaſmatis potentiſſimè figit, et obfirmat; ſanguinem condenſat; et putredinem arcet. Hic ſpiritus in cereviſiâ tenui, ſerò lactis limpidiſſimo, aut ptiſanâ refrigerante ad gratam aciditatem opportunè inſtillatur.

Enemata emollientia methodo ſuperiùs traditâ injiciuntur, aut ſi alvus nimìs ſoluta fuerit, omittuntur: in poſteriori caſu à liquoribus acidulatis, exceptâ tamen tincturâ roſarum rubrarum, pro hoc tempore abſtinendum eſt; et decoctum album, rubicundum,

dum, emulſio arabica, lac cum aquæ triplo coctum, eorum loco ſubſtitui debent.

Si diarrhæa nimìs ſæviat; præter paregorica, enemata reſtringentia, et cætera omnia ſuprà recenſita, julap. alicujus cordial. temperat. cochl. duo vel tria quartâ vel ſextâ quâque horâ propinare ſoleo, in modum ſequentem compoſiti. R. aq. papaver. errat. germin. querc. roſar. rubrar. ceras. nigr. cinnamom. hordeat, ā. uncias duas, pulv. è chel. cancror. compoſ. lapid. contrayerv. ā ſcrupulos. ii. ſyrup. papaver. errat. et è rub. idæo. ā. drach. vi. m. f. julap. aut demptis pulveribus, additur ſpirit. vitriol. q. ſ. ad grat. acid.

Spiritum vitrioli in omni tum potu, tum medicamento, ad gratam aciditatem inſtillatum, ad ſanguinis mictum, petechias nigras aut purpureas, et omnem quamcunque hæmorrhagiam univerſalem, aut particularem debellandum et amoliendum, tanquam potentiſſimum et efficaciſſimum remedium expertus commendo.

In hunc etiam finem, pulverem è terr. japonic. coral. rub. ppt. lap. hæmatit. bol. armen. et alum. rup. ā gr. xv. in v. par. eq. divis, cum ſucceſſu felici ſæpiùs præſcripſi. Hujus chartulam aut partem

unam exactiſſimè diſſolutam in cochl. III. Julap. reſtringent. aut tinctur. roſar. rubr. ægro ſextâ quâque horâ propinavi. Et in ſcorbuticis permultis habitibus, ac ſpirituum aut virium nimio languore, camphor. gr. ii. vel. iii. omni antedicti pulveris doſi feliciter adjiciuntur.

Gargariſm. ſuprà memorat. ad ſalivationem promovendam, et cataplaſma emolliens in præcedentibus pagellis deſcriptum ad leniendum gutturis dolorem, pro re natâ miniſtrantur. Et à morbi principio ad finem uſque, veſicatoria nullo non tempore cum fructu optato applicantur; et principis remedii titulum aptè ſatìs commerentur.

In morbi progreſſu, paregorica ſextâ, octavâ, aut duodecimâ quâque horâ repetuntur; augendo ſemper doſin pro ſymptomatum et medicamenti effectus ratione: notari enim debet (ut jam ante innuebam) quod, ſi paregorica medicamenta, idoneâ et ampliatâ ſatis proportione ad quietem conciliandum, aut ſomnum inferendum non præſcribantur; æger minori quam pareſt, horum doſi ſuppeditatus, magis hìnc inquietus, delirus, phreneticus, aut perturbatus haud raró devenerit.

Scabie

Scabie incruſtatâ, vini canarini ſemicocti cochl. aliquot mane et veſperi ægro exhibenda ſunt; et hauſtus ſeri lactis canarini tertiâ vel quârta quâque horâ propinatur. In hoc paritèr morbi ſtadio, ſerum lactis canarinum cum lacte tertiâ parte aquæ diluto paratum, et aurantiorum ſucco acidulatum, in potum ordinarium pro re natâ tutò uſurpatur; quamvis dum ſtipata fuerit alvus, cereviſiæ tenuis cum prædicto ſucco acidulatæ hauſtus, ad libitum et abſque injuriâ miniſtrari poſſit, ac debeat.

In primo et ſecundo hujus morbi ſtadio, pediluvia repetita, balneationes, fomentationes, cataplaſmata, et ſuppedanea acria ad plantas pedum applicata utiliſſima notavi. Nec in præfatis morbi temporibus, ſucceſſivam veſicatoriorum applicationem, aut enematum emollientium ad ſtipatam alvum laxandum, repetitam poſt debita intervalla injectionem, minùs conferre obſervavi.

Vinum canarinum cum avenaceis, hordeaceis, orizatis, gelatinâ, C. C. et panatellâ, cochleatìm commiſceri debet ad gratum ſaporem; puſtulis præcipuè incruſtatis, et morbo ad ſtadium ultimum accedente. In hoc quoque morbi tempore, cochl. duo vel tria, ægro tertiâ vel quartâ quâque horâ exhibentur, julap.

 cordial.

cordial. compoſit. ex aq. ceras. nigr. meliſſ. lact. alexiter. aut ſimilibus, cum debitâ proportione aquar. ſcord. compoſ. pæon. compoſ. epidemic. ſyrup. cariophyl. &c. Pulver. interìm cordial. ſuprà deſcript. chartul. 1. in julap. prædict. doſi unâ, aut ſeri lactis canarini cochlear. aliquot exactiſſimè diſſoluta, ſtatis horis opportunè miniſtratur; cui etiam pulveri pro rei neceſſitate adjiciuntur grana aliquot rad. ſerpentar. virginian. vel hujus loco inſtillari commodè poſſunt guttæ aliquot tincturæ virginian. omni prædicti julapii doſi.

Facie et manibus ſubitò et præmaturè detumeſcentibus, ac ſalivatione penitùs ſuppreſſâ, delirio interìm, phrenitide, deglutiendi difficultate, imminenti ſuffocationis periculo, aliiſque pravis ſymptomatis ſupervenientibus; ſanguis è brachio, aut venâ jugulari ſtatìm mittendus, alvus ſtipata illicò laxanda, veſicatoria recèns applicanda, et medicamentum paregoricum cordiale opportunâ doſi propinandum eſt.

Præfato hauſtui paregorico, tinctur. virginian. croc. ſpirit. volat. C. C. tinct. caſtor. aut ſpirit. ſal volat. oleoſ. gutt. circitèr xxx, plùs minùs pro ætatis ratione, et pulſus languore, aut virium debilitate, commodiſſimè et cum ſucceſſu ſæpè felici inſtillantur.

Cauta,

Cauta, prudens, et methodica horum volatilium, in febre putridâ crudioribus et malignis variolis ſuperveniente, miniſtratio, habitâ ſempèr pulſus et virium ratione, (ſivè julapio cordiali, ſivè hauſtui paregorico, ſivè denique potui ordinario ſtatis horis, et pro re natâ inſtillata exhibeantur) ad victoriam in hoc diro et ancipiti conflictu ab hoſte reportandam plurimùm confert.

Prædictâ omni medendi methodo incaſſùm miniſtratâ, ad cathartica tanquam ad unicum et ultimum remedium confugiendum eſt. Rhabarbarum hoc in caſu aliis catharticis anteponendum cenſeo ; non tantum quia lenitèr alvum movet, et primas vias à viſcido excrementorum pondere felicitèr liberat : ſed quod ab aſtrictoriâ inſupèr quâ pollet virtute, evacuationis per alvum ultrà naturæ vires protrahendæ, et diarrheæ hinc inſecuturæ periculum præcavetur.

Decoctum *Fracaſtorii* ad cochl. ii. vel iii. ſextâ quâque horâ exhibitum, per modum julap. decoctum rubicundum pro potu ordinario, et enematis reſtringentis injectio, ſemel aut bis, poſt debita intervalla repetenda, paregorico hoc eodem tempore in auxilium accerſito, ad Diarrhæam colliquativam febri

febri putridæ ſupervenientem amoliendum egregiè conducunt: a liquoribus tamen acidulatis (exceptâ tincturâ roſarum) perſeverante memorato ſymptomate abſtinendum cenſeo.

In urinæ ſuppreſſione, æger, ſi vires hoc ferant, è lecto eximatur, et adſtantium manibus ſuffultus, bìs tervè cubiculum circumambulet ; juxta *clariſſimi Sydenhamii* obſervationem. Ad hoc quoque ſymptoma debellandum, capiat ſextâ quâque horâ doſin pulveris cordialis ſuprà deſcripti, additis ciner. bufonum in crucibulo calcinat. gr. vi. diſſolut. in aq. fænicul. aut ſaxifrag. cochl. iii.

In ultimo hujus morbi ſtadio, paroxyſmum quendam intermittentis quotidianæ, aut tertianæ febris æmulum ſupervenientem, et quotidiè, vel alternis diebus recurrentem ſæpiùs obſervavi. Paroxyſmus hic à rigore et horrore ordiebatur, cui mox ſucceſſerunt calor, ſitis, pulſus celer, delirium, anxietas magna, ægritudo univerſalis, nauſea ſæpè, jactatio inquieta, et ſomnolentia ; tandem ſudore ad aliquot horas continuato, evaneſcentibus aut ſaltem miteſcentibus præfatis ſymptomatis, finitur paroxyſmus. In intervallis paroxyſmorum æger de magno virium languore conqueritur ; inappetentiâ

laborat ;

laborat; pulſum habet celerem & depreſſum; ſtupidus quodammodò, & hecticus apparet.

Cortex peruvianus in formâ decoct. vel apozemat. in aq. fontan. cum rad. tormentil. & ſerpentar. virginian. repetitis deccoctionibus ppt. vel cum prædict. rad. & ſal. abſynth. in vino rubro gallico debitè infuſus, ut tinctura idonea indè eliciatur, ad prædictum paroxyſmum ſupprimendum, appetitum reſtaurandum, virium debilitatem & ſpirituum languorem amovendum, hecticum calorem extinguendum, ſudores colliquativos, & alia omnia colliquationum ſymptomata auferendum, & phthiſin pulmonarem acutam præcavendum, mira ſempèr præſtitit: ut repetitis & coacervatis experimentis comprobavi.

Memoratæ corticis tincturæ, vel decoct. unciæ circitèr duæ quartâ quâque horâ in paroxyſmorum intervallis exhibentur; et ſi forma tincturæ ægro minùs arrideat; præfatus cortex cum granis aliquot rad. ſerpent. virgin. in ſubtiliſſ. pollin. trit. coccinel. & ſal. abſynth. in formam boli cum ſyrup. aliquo appropriato conflatus, tincturis præfatis ſubſtitui poteſt; ſuperbibendo vini hiſpanici, vel rubri gallici cochl. aliquot: Hæcque methodus continuari debet, donec paroxyſmi non ampliùs

ampliùs revireſcant, & donec alia præfata omnia ſymptomata paritèr evaneſcant.

Appetitu & viribus hâc methodo reſarcitis, ſanguis è brachio mittendus, & æger debitis deinceps interjectis intervallis, primùm lenioribus, dein paulò fortioribus catharticis potionibus tèr quatervè purgandus eſt. Abſolutâ autem quartâ vice catharſi; capiat memoratæ peruviani corticis tincturæ, in vino rubro gallico paratæ uncias circiter duas, quartâ vel ſextâ quâque horâ, donec prædicti liquoris libræ ad minimùm ſex abſumptæ fuerint. Hoc demùm peracto; ad aſſuetum diætæ et vivendi modum relegari debet.

Obſervatio Prima.

Virginem nobilem, variolis peſſimi moris confluentibus crudiſſimis laborantem tractavi, & favente numine reſtitui.

Univerſa corporis ſuperficies abſque vel minimo interſtitio vacuo, puſtulis ſeſſilibus, efferatis, lymphaticis, & turmatìm confluentibus penitùs obducta fuit. Maculæ nigerrimæ plurimæ in dorſo, collo, pectore, brachiis, tibiis, et femoribus, tum ante eruptionem, tum per plures poſt hanc ipſam dies in conſpectum venerunt, & ad ultimum morbi ſtadium ſubſtiterunt. Horrendis in morbi

bi apparatu ſymptomatis vexata eſt. Delirio ſcilicet vehementi, ſpaſmodico lumborum, dorſi, et capitis dolore, vomitione enormi, vigiliis pertinacibus, pulſu minimo, celeri, intermittente, diarrhæâ, &c. torquebatur.

Acceſſit die morbi tertio mictus ſanguineus copioſus; quod quidem horrendum ſymptoma ad decimum quartum, aut circitèr morbi diem perſeveravit. Medicus alius, magni nominis vir in conſilium vocatus die morbi ſexto, clariſſimi *Sydenhamii* authoritate ſuffultus, præmiſſo palàm certo et fatali prognoſtico; impoſſibile omninò eſſe, ut nobilis ægra incurabilem morbum ſuperaret, audactér affirmavit. Quare die morbi ſeptimo, vanum prorſùs et fruſtraneum eſſe judicans, quidpiam ampliùs in ægræ derelictæ auxilium aut ſolamen moliri; ſe ſtatìm ſubduxit. Ego verò, quia unum aut alterum præfatâ hæmorrhagiâ in variolis crudiſſimis multatum, meâ ipſius curâ reſtitutum fuiſſe comperiſſem; Matri enixè efflagitanti ut, dum vita adhùc maneret, virginem nobilem non deſererem, haud ægrè quidem annuebam; tum quia ægros maturiùs deſerere, inhumanum quodammodo eſſe ſempér judicaverim; tum etiam quia per præcedentia quædam experimenta, non obſtante mag-

ni Sydenhamii prognoſtico, mictum ſanguineum variolis ſupervenientem, certam et inevitabilem ſemper mortem non præſagire obſervaverim. Quare ad methodum refrigerantem et incraſſantem juxta morbi ætiologiam ſupra explicatam me ſedulò accingo.

In potum ordinarium, cereviſiam tenuem ſpiritu vitrioli acidulatam, affatìm hauriendam inſtituo ; et tincturam roſarum rubrarum, ptiſanam refrigerantem, vel ſerum lactis limpidiſſimum, cum prædicto ſpiritu ad gratam aciditatem inſtillato commixtum, pro ægræ arbitrio et beneplacito, cereviſiæ loco ſubſtituo.

Huic tamen, mictu ſanguineo pertinaci non obſtante, indicationibus veris ſeſe ultrò offerentibus, veſicatoria pluries repetita in morbi decurſu, ad ſæviſſima quæ ſupervenerunt ſymptomata debellandum, ſucceſſivè applicata ſunt.

Diarrhæa die morbi circitèr duodecimo, à frequentiori et copioſiori ſpiritus vitrioli uſu ſuperveniens, quæ quidem a narcotici, & medicamentorum reſtringentium continuato uſu, intra juſtos cancellos facilè admodùm continebatur, ad febrem putridam auferen-

auferendam, et nobilem ægram ab orci faucibus eripiendam, ægregiè contulit.

Salivatio ob regiminis ſubacidi refrigerantis, cereviſiæ ſcilicet tenuis, et aliorum liquorum diluentium ſpiritu vitrioli acidulatorum uſum, et ob repetitam narcoticorum exhibitionem ſtatis temporibus continuatam, ad decimum ſeptimum aut circitèr morbi diem felicitèr perduravit.

Tumor manuum et faciei ad eundem temporis terminum protractus fuit; cui demùm inſignis pedum intumeſcentia, et magnum ſatìs urinæ profluvium auſpicatò ſuccedebant. Die decimo ſeptimo puſtulæ laudabilem ſatis maturationem adeptæ ſensìm declinabant. Sanguinis mictus à prædicto regimine, et pulveris reſtringentis ſuprà memorati uſu, die circitèr decimo quarto repreſſus fuit. Et ſymptomatis omnibus poſt decimum ſeptimum diem gradatìm declinantibus, ac morbo ſtadium ultimum ritè percurrente, circà vigeſſimum tertium diem à febre putridâ penitùs liberata, poſt debitam venæſectionem, et catharſin tèr repetitam convaluit perfectè; et ſubitò poſt convaleſcentiam nupta fuit; nunc vero numeroſâ prole ditata, ſanitate perfectâ fruitur.

Obſervatio Secunda.

Juvenem nobilem variolis confluentibus crudioribus correptum, quibus petechiæ luridæ et purpureæ, violentaque ſanguinis è pulmonibus, et per alvum rejectio, delirium horrendum, diarrhæa vehemens, vigiliæ pertinaces, aliaque permulta prava ſymptomata ſupervenerunt; prædictâ ferè methodo, divino annuente adjutorio, à truculentiſſimo hoc morbo tutum liberavi. Ægro huic, præter liquores ſubacidos, veſicatoria ſucceſſivè repetita, emulſiones refrigerantes, paregorica medicamenta, balneationes, pediluvia, enemata emollientia, gargariſmos, et cataplaſmata in ſuperioribus pagellis recenſita; mixturæ pectoralis è terr. Japonic. pulver. hal. conſerv. roſar. rubr. balſam. leucatel. ſpermat. cæt. ſyrup. papaver. erratic. de mecon. ol. amigdal. dul. recentèr extract. et ſyrup. balſamic. conflatæ, cochlear. i. ſextâ quâque horâ præſcripſi; ſuperbibendo poſt omnem doſin decoct. malvæ. vel roſar. uncias duas. et quandoque decocti loco, julap. reſtringent. memorat. aut julap. perlat. cochl. iii. vel iv. pro ægritudinis ſcilicet, aut languoris exigentiâ ſubſtitui. Pulvis reſtringens in hoc caſu omiſſus eſt, et hujus loco mixtura prædicta ſtatis horis ſubſtituta fuit, convaluit perfectè; et jam ſuperſtes manet, muniis propriis probè fungens.

Obſervatio Tertia.

Pauperculæ viduæ filium unicum decennem, qui à nefariis quibuſdam nebulonibus, immodicâ ſpiritus vini ingurgitatione, ad duos treſvé ſucceſſivè annos continuatâ, ex purâ prædictorum ſceleratorum malitiâ quotidiè inebriatus fuit, in hunc tantum finem, ut alios quoſcunque ſceleratos pueros, juramenta, imprecationes, et obſcœna verba conſtantèr proferendo, nequitiâ, & vitâ flagitioſâ ad riſum movendum, tranſcenderet ; variolis peſſimi moris correptum inviſi.

Hæ admodùm confluebant, cum petechiis purpureis, et nigris compluribus interſperſis conſociatæ. Phrenitide horrendâ, motibus convulſivis, ſubſultibus tendinum, vigiliis immoderatis, hæmorrhagiis per anum, urinæ vias, et è pulmonibus, univerſalibus miſerrimè torquebatur. Methodo tamen prædictâ, ex ineffabili ferè hoc vitæ diſcrimine ægrè admodum, ſed non abſque evidenti et manifeſto ſalutaris artis adminiculo, ad ſanitatem priſtinam reſtitutus eſt ; et ad duos abhìnc inſequentes annos ſuperſtes manſit. Tandem veró ab immodicâ ſpiritus vini & continuatâ ingurgitatione, labefactatis penitùs viſceribus, in hydropem aſcitem et tabem deploratam miſer-

miſerrimus incidit, & ultimum diem clauſit.

Obſervatio Quarta.

Ad juvenem quendam varioloſâ gravi epidemicâ febre correptum accerſebar. Delirium ingens, ægritudo horrenda univerſalis, diarrhæa immodica, capitis et præcordiorum dolor vehementiſſimus, calor lenis & inconſtans, nauſea et vomitio immanis, dolor dorſi et lumborum ſpaſmodicus, pulſus celer parvus, et vacillans ægrum diſcruciabant.

Sanguis è venâ brachii fuit illicó miſſus ad magnam ſatìs quantitatem, quia variolas confluxuras præmonſtrabant recenſita ſymptomata, et quod inſupèr vernâ tempeſtate decubuerit æger. Veſperi inſequenti hauſtum emeticum è rad. ipecacoan. propinavi; et horâ nonâ veſpertinâ, poſt abſolutam vomitorii operationem, hauſtum paregoricum ad ſedandos ab emetico excitatos tumultus, et diarrhæam, quæ ultrà modum ſæviebat, compeſcendum præſcripſi.

Die inſequenti, qui erat morbi tertius, variolæ denſo agmine prodibant. Confluentes præter modum et integram faciem occupantes videbantur. Puſtularum elevatarum figuram

guram nullo modo referebant, ſed ſuperficie perfectè planâ gaudens hæc efflorefcentia, febrem ſcarlatinam adamuſsìm æmulabatur.

In collo, pectore, dorſo, et artubus, inſequentibus diebus maculæ rubræ, latæ, indeterminatæ figuræ et dimenſionis, in quibusdam etiam interſtitiis, purpureæ et luridæ emicabant. Maculæ hæ quinto morbi die totam trnnci ſuperficiem ut plurimùm obduxerunt, abſque vel minimâ ſenſibili eminentiâ, ſed ſuperficie planiſſimâ cum petechiis minimis, rotundis, rubris, purpureis et luridis interſperſis donatæ. Facies hoc ipſo die minorem quandam in confluentibus puſtulis eminentiam admittebat; delirio interim phrenetico, diarrhæâ vehementiſſimâ, doloribus lumborum et dorſi ſpaſmodicis, ægrum immanitèr excruciantibus.

In horum ſymptomatum ſublevationem, cum tertio et quarto morbi die, paregoricum medicamentum largâ quidem doſi bìs ſine fructu miniſtratum fuerit; quinimo à repetitâ narcotici exhibitione, vigilias pertinaces, jactationem inquietam, et alia omnia ſymptomata prædicta in pejus potiùs ruere, et exacerbari conſtiterit; quintâ nocte paregoricum, am-

pliatâ

pliatâ poſt debita intervalla, ultra metam quam mihi in praxi ad præfatum uſque diem obſervare licuit, doſi, propinatum fuit; et epiſpaſticum amplum ac acerrimum eodem veſperi ad nucham applicatum.

Illâ nocte ad horas aliquot dormivit, ſed minùs placidè ;. poſtero die morbi ſcilicet ſexto, diarrhæa et delirium quadantenùs licet imminuta, adhuc tamen perſeverabant. Maculæ in corporis trunco ſcarlatinæ effloreſcentiæ adinſtar, colore tamen minùs florido, abſque ullà omninò eminentia ſenſibili emicabant.

Sexto veſperi L. L. Sydenhamiati et ſyrup. de mecon. in aq. papaver. errat. et lact. alexiter. aa. part. æqual. ampliatam doſin ægro miniſtravi. et hâc ipſâ nocte, præmiſſis balneationibus emollientibus, et pediluvio, quæ ſæpiùs etiam à primâ morbi invaſione tentata ſunt, veſicatoria duo ampla et acria tibiis internis admovenda curavi. Nocte hâc, ſomno placido ad horas circitèr octo cum euphoriâ protracto refocillabatur. Die morbi ſeptimo delirio et diarrhæâ penitùs ceſſantibus, faciei exanthemata quodammodò adhuc elevari incipientia, variolarum cohærentium formam induebant.

Conti

Continuato demùm liquorum refrigerantium ſubacidorum, et emulſionum in potum ordinarium liberaliori uſu, repetitoque ſingulâ nocte paregorico, puſtulæ faciei die circitèr undecimo diſtinctarum mediarum formam referebant, et in corporis trunco maculis iſtis latis, rubris, et luridis, unà cum petechiis ſensìm diſparentibus, puſtulæ diſtinctæ pure benigno turgidæ, die morbi decimo quarto truncum et artus occupabant; et die decimo ſeptimo unà cum faciei puſtulis incruſtatæ, ſensìm et ſine gravi aliquo novo ſuperveniente ſymptomate penitùs peribant: nec fæda ulla ſtigmata, ſulci, aut cicatrices ab hâc variolarum ſpecie inflicta ſunt; quamvis diriſſimis et exitum morbi fatalem in primis ſtadiis lucidè præſagientibus ſymptomatis ægrum diſcrucient; & adſtantes perterrefaciant.

Salivatio octavo morbi die ſuperveniens, ad undecimum uſque felicitèr perduravit. Abhinc verò declinans, non niſi poſt decimum quartum diem penitùs ceſſavit. Tumor faciei quamvis circa diem undecimum aliquantulum ſubſidat, non tamen ante decimum quintum diem ex toto diſparuit; nec ulla ferè interim huic morbo ſupervenit manuum aut pedum intumeſ-

 centia,

centia, vel inſigne aliquod urinæ profluvium.

Paucis tantum remediis, venæſectione ſcilicet et emetico in morbi apparatu; veſicatoriis, paregoricis, balneationibus, pediluviis, diluentibus, refrigerantibus, aut reſtringentibus liquoribus pro potu ordinario, diætâ parcâ, tenui, et antiphlogiſticâ, et julapio aliquo cordiali temperato ſubacido, in ſequentibus morbi ſtadijs tractabatur æger. Et ſolâ phlebotomiâ circa vigeſſimum ſcilicet morbi diem, ad ulteriorem phlogoſin aut colliquationem præcavendam, ſemel celebratâ, et leni Cathartico, ad colliquatæ materiæ reliquias per alvum deturbandas, poſt debita intervalla ter repetito, æger abſque alio quovis pomposo medicaminum apparatu, ad priſtinam ſanitatem perfectè reſtitutus eſt; quâ etiam ad hunc præſentem uſque diem, vegetus quidem et athleticus fruitur.

CAPUT VI.

De morbillis benignis, aut ſporadicis, et epidemicis, ſive anomalis, anni 1722.

FEbris morbilloſa à rigore, et horrore, caloris, et frigoris inſultibus, ſeſe mutuò expellentibus orditur. Succedunt poſtero ſaltem die ægritudo, nauſea, vomitio, ſitis vehemens, jactatio inquieta, laſſitudo ulceroſa, lumbago, lingua humida, alba, et ſæpè fæda, tuſſicula, cephalalgia, vertigo, occulorum rubedo, palpebrarum intumeſcentia, gravedo, ſomnolentia comatoſa, pulſus celer et quandoque debilis, delirium, lachrymæ involuntariæ, diarrhæa, ſternutatio, et ſtillans è naribus humor.

Hæc omnia ſymptomata morbillorum eruptionem antecedentia, febris indolem peracutam, et humorum in lympham acrem et ſeroſam, colliquationem demonſtrant. Colliquationem hanc ad plures ante invaſionem dies inchoatam eſſe, frequentiùs indicant tuſſis ferina, occulorum inflammatio, lachrymæ involuntariæ, aliaque ſymptomata præcedentia, quæ tamen à

primâ morbi ipſius invaſione magnoperè adaugentur.

Ad tertium ut plurimùm vel quartum uſque diem, ingraveſcunt ſensìm recenſita ſymptomatá; quo circitèr tempore, vel maturiùs, in morbo ſaltem benigniori, efloreſcunt in facie maculæ parvæ, rubræ, quæ numero et magnitudine auctæ racematìm coaleſcunt; et faciem maculis rubris, latis, figurâ diverſâ, oblongâ, quadratâ, vel multangulâ præditis depingunt. Hæ maculæ faciei rubræ haùd raró parvulas quaſdam et depreſſas papulas rubras in centro admittunt; Quarum protuberantia digito admoto deprehendi quodammodo poteſt.

A facie ad pectus, collum, crura, dorſum, ac tibias ſensìm diffunditur hæc efloreſcentia, quæ truncum et artus maculis latis, rubris, ſuperficie planâ gaudentibus interſtinguit. Inflammatoria enim hæc eruptio cuticulam, non veram cutem adoritur. Tuſſis et febris intenduntur. Spirandi ſæpe difficultas, occulorum debilitas, et defluxio in eoſdem decumbens, ſomnolentia, atque inappetentia perſeverant.

Die circitèr ſexto, frons et facies inæquali quadam aſperitate, ab eroſâ ab acri ſero

ſero cuticulâ donantur. Emorientibus ef-floreſcentiis, cuticula rumpi, turgere, et à cute ſeparari incipit. Hoc ipſo tempore maculæ per truncum, et artus latiſſimæ ſunt, et maximè rubeſcunt : ſine dolore ta-men vel tumore palpabili apparent. Ef-floreſcentia hæc, ruptâ et ſeparatâ cuticulâ, die circitèr octavo ſquamularum adinſtàr, in toto corpore decidens evaneſcit ut pluri-mùm, et penitùs perit.

Circa hoc tempus, calido præſertim re-gimine initio morbi præcedente, vel alio quovis errore commiſſo, aut quandoque ex ipſius morbi pravâ indole, febris et ſpirandi difficultas accedunt, vel augen-tur; tuſſicula pertinacitèr urgens ſomnum interturbat; et peripneumonia ſupervenit.

In morbillis benignis et ſporadicis, mor-bi ſtatus bidui vel tridui ſpatio felicitèr terminatur : Febre et efflorеſcentiâ eva-neſcentibus; niſi à regimine præpoſtero ſymptomata periculoſa accerſantur.

In morbillis epidemicis febris efflore-ſcentiæ apparatum concomitans, cum af-fectu comatoſo, aut vigiliis pertinacibus, deliriis efferatis, tuſſi ferinâ et pertinaci, diarrhæâ, ſpaſmis, ſubſultibus tendinum frequen-

frequentioribus, reſpiratione citâ et anhelosâ, pulſu celeri, et depreſſo, hypochondriorum anguſtiâ et oppreſſione, urinâ pallidâ, tenui, et minùs rubrâ frequentiſſimè ſociatur.

In his ſera nimìs eruptio, cum maculis latis, rubris, quandoque et pallidis, aut ſubluridis, humeros, pectus, aut collum primò occupàntibus, ad ſextum, ſeptimum, et octavum quandoque diem protenditur. In harum macularum interſtitiis, petechiæ rubræ, purpureæ, ſubluridæ, vel nigræ ſæpiſſimè obſervantur. Adeſt quoque ſæpè gutturis dolor ulceroſus, et raucedo clangoſa.

In morbillis epidemicis et malignis, efflorefcentia unam cuticulæ partem poſt alteram occupans, nunc vegeta, nunc pallida, et ſublurida apparens, ad plures dies perſeverat. In his declinante efflorefcentiâ, febris manet; vel forsàn augetur. Et in anginâ, pleuritide, peripneumoniâ, aut diarrhæâ torminoſâ et colliquativâ terminatur.

Morbifico fermento imperfectè deleto, ſuccedunt morbi complurimi à colliquatione orti. Tuſſes v. g. ferinæ, et vigiliæ pertinaces, inappetentia, ophtalmiæ periculoſæ,
phthiſis

phthiſis pulmonaris, diarrhæa funeſta, anaſarca, &c.

Vigente efflorеſcentiâ quandoque ſuperveniunt peripneumonia funeſta ; angina ; tuſſis perpetua et moleſta ; deglutitio difficilis ; dolor pectoris lancinans ; ſtrangulatio ; et ſuffocatio ; exanthemata in adultis primò livida ; deìn nigra.

Differentia inter morbillos epidemicos et ſporadicos, in majori vel minori ſanguinis colliquatione, et indè natis inflammatoriis ſymptomatis plùs minùs benignis, aut anomalis ſita videtur.

Effloreſcentia diutiùs permanens mala. Et quo longiùs poſt tertium diem perſeverat, eo periculoſior. A febre enim diutiùs perſeverante, colliquatio et morbi inflammatorii proveniunt acutiſſimi.

Febris poſt effloreſcentiæ declinationem et diſceſſum protenſa, malum ſignificat.

Morbilli benigni legitimè tractati periculo vacant. Epidemici et maligni admodum periculoſi.

Morbilli

Morbilli ut naturâ, ita et medendi quam poſtulant ratione, variolis perſimiles.

Medicamenta et regimen calidiora in utroque morbo ſunt periculi pleniſſima.

Seri acris in occulos congeſtio, et tuſſis importuna, inter certiſſima morbillorum ingruentium ſymptomata numerantur.

Serum acre et tenuiſſimum, à ſanguine in fibrillis cuticulæ coarctatis ſtagnante exudans, has corrodens et inflammans, prædictæ membranæ morbilloſam inflammationem communicat.

Hìnc à variolis diſtinguntur morbilli: priorum enim inflammatio in cute verâ vigens, ſub ipſum initium palpantis tactui exanthematum renitentium duritiem, et elevationem exhibet; quæ progrediente deìnceps morbo pure referta conſpiciuntur. Poſteriorum verò cum cuticulam occupet inflammatio, nec renitentem elevationem exhibet; nec effloreſcentia in purulentam materiam tranſit.

Regimen propter febrem præſentem, morbilli cum aliis febribus commune exigunt.

gunt: Diætam ſcilicet tenuem ex avenaceis, hordeaceis, panatellâ, pomo cocto, vel ſimilibus; Decubitum in lecto quietum; Et calorem à ſtragulis injectis moderatum: Quia ut frigidi aeris impulſus efflorefcentiam in cuticulâ retardat; ita et temperies ejuſdem impenſè calida colliquationem adauget. Undè in ſecundo morbi ſtadio, et effloreſcentiâ etiam penitùs recedente, incredibile morborum inflammatoriorum, et ſymptomatum à nimiâ colliquatione ortorum agmen inſequitur.

Æquabili igitùr et moderato regimine utens æger, lecto addicendus eſt; nec ſtragulis, nec igne, præter gradum quo ſanus utebatur, adjectis. Carnes quæcunque et harum juſcula vel limpidiſſima rigoroſè vetantur. Et ſi diarrhæa nimìs ſæviat; lac cum aquæ triplo coctum, tinctura roſarum, decoctum album, aut rubicundum in potum ordinarium miniſtrantur.

Ad tuſſim demulcendam, ſi diarrhæa præcipuè ægrum minùs infeſtet; ptiſanæ aut decocti pectoralis tepidi hauſtus ſubindè propinatur. In hunc paritèr finem paratur linctus pectoralis ex oleo amigdal. dul. re-

centèr et ſine igne extract. ſyrup. capillor. vener. de tuſſilag. ſpermat. cæt. aut ſimilibus cum ſacchar. chryſtal. alb. q. ſ. edulcoratus, de quo æger ſæpiùs et ad libitum lambendo capiat. Hauſtus interìm paregoricus ex ſyrup. de meconio in aq. Ceraſor. nigror. et papaver. erratic. ā par. æq. idoneâ doſi diſſolut. horâ nonâ veſpertinâ ſumendus in eundem finem egregiè confert; Singulis deìn noctibus pro ſymptomatum, tuſſis v. g. diarrheæ, aut vigiliarum ſævitiâ, et pertinaciâ repetendus.

Pauca hæc in morbillis benignioribus ſufficiant; ſi ſub morbi finem, ad tuſſim et diarrhæam adhùc perſeverantem penitùs auferendum, ſanguis ritè mittatur; Dein catharticis lenioribus bis terve poſt debita intervalla repetitis, ſeroſæ, et colliquatæ lymphæ colluvies in habitu corporis congeſta per alvum deturbetur; Et paregoricum poſt quamlibet purgationem repetatur horâ decubitus.

Verùm enimverò in morbillis epidemicis et malignis, longè alitèr ſe res habet. In his enim tractandis intentâ magìs animi cogitatione opus eſt, quia horum curatio multò quidem operoſior eſt; et ſanè non longiori à ſeſe invicem intervallo, di-

ſtare,

ſtare videntur variolæ benignæ diſcretæ, & confluentes crudiſſimæ; quàm inter ſe differunt morbilli ſporadici benigni, & epidemici maligni; undè et quemadmodùm ambæ illæ variolarum antedictarum ſpecies, diverſam prorſùs expoſcunt medendi methodum; ita paritèr epidemici morbilli aliam, ac in multis diverſam, à benignis et ſporadicis curationem demandant.

Morbillorum epidemicorum cauſa videtur eſſe ſal quoddam acre, alkalinum, ſummè volatile, maſſam ſanguinis præ aliarum omnium febrium fermentis, in fluorem ineffabilem colliquans. Fermentum hoc, prout eſt magìs vel minùs exaltatum, ſymptomata producit magìs vel minùs funeſta. Hinc à morbillis epidemicis ortum frequentiſſimè habent morbi acuti inflammatorii ſuperiùs recenſiti.

Colliquativus morbus igitùr hic, egregiè inflammatorius eſt. Et pro vario inflammationis & colliquationis gradu, malignitas ejus eſt plùs minùs intenſa. Indicationes igitur curativæ in morbillis epidemicis inſequentes duæ, aliis quibuſcunque præcipuè prælucere videntur; extinctio ſcilicet cauſæ morbificæ maſſam ſanguineam colli-

 quantis,

quantis, ſivè ipſius inflammationis inchoata medela, & allevatio ſymptomatum ab hâc colliquatione ortorum.

His verò indicationibus ſatisfacturus, ſequentem medendi methodum inſtitui; quam quidem ſæpius, præcipuè verò in tractandis morbillis an. 1722, qui præ alijs omnibus quos mihi obſervare licuit, latiſſimè ſparſi ſunt, feliciſſimam expertus ſum. Hi nullam fere familiam intactam prætereuntes, per aliquot ſucceſſivè menſes popularitèr admodum, et cumulatiſſimè graſſabantur; unde et mihi ſoli, durante hoc temporis ſpatio, ſeptuaginta ad minimùm ægros morbillis decumbentes, ſingulis diebus inviſere, & medicamentis idoneis, ac regimine opportuno tractare, in officio fuit. Sub Octobris exitum aut Novembris initium primò emicabant. In dies autem aucti & magis populariter ſparſi, Januario inſequenti ad ſummum extenſionis ſuæ apicem acceſſerunt. Quo ferè prædominio ad æquinoctium uſque vernale gaudentes; abhinc ſenſim declinabant, & ſub æſtatis ingreſſum fugam plerumque quæſiverunt.

Primo itaque invaſionis die ſanguinem è brachio extrahendum curavi; non exceptis

ceptis puerulis tertium ætatis annum præ-tergreſſis. Eodem veſperi vel die ſaltem inſequenti, hauſtum emeticum è granis aliquot. pulver. rad. ipecacoan. in vehiculo idoneo diſſolut. ſumendum præcepi. Poſt quamlibet vomitionem hauſtum prælargum infuſionis theæ viridis ſine ſaccharo capiendum injunxi. Et ægrum finitâ vomitorii operatione, hauſtu ſeri lactis canarini tantillo aquæ diluti reficiendum curavi.

Horâ ſomni ad tuſſim et diarrhæam infeſtantem ſedandum, et quietem commotis ab emetici operatione humoribus conciliandum, lene aliquod anodinum è ſyrup. papaver. rhead. vel papaver. alb. conflatum, ſumendum volui. Singula hæc pro ægri temperie, viribus, et ætate menſurata, et proportionata ſedulò inſtitui.

Regimen generale, decubitum ſcilicet, diætam, potum ordinarium, ptiſanæ, vel decocti pectoralis tepidi uſum, linctum pectoralem, et hauſtum paregoricum, ut in præcedenti morbo, pro re natâ inſtituendum et miniſtrandum curavi. In apparatu inſupèr præſentis morbi pediluvia repetita in uſum vocavi. Suppedanea etiam acria,

acria aut pullos duos columbinos recèns mactatos, et per ſpinam ſciſſos (amputatis priùs capitibus, cruribus, & alis,) ſæviente præſertim delirio, comatoſo affectu, cephalalgiâ, et gutturis dolore ad plantas pedum frequentèr applicavi.

Dyſpnæâ, tuſſi ferinâ et importunâ, diarrhæâ truculentâ, unà cum ſymptomatis memoratis ultra modum infeſtantibus, ſi præcipuè efflorefcentia ſera nimìs et tarda procedat; vel ſi in pectore et collo, una cum petechiis interjectis et macularum colore pallido aut ſublurido, primùm appareat; epiſpaſticum amplum et acre ad nucham ante, vel ſubitò poſt morbillorum eruptionem, prout ſymptomata prædicta magis vel minùs ſæviebant, conſtantèr applicare non dubitavi.

Intereà verò ſanguinis maſſam copioſo liquorum refrigerantium et diluentium uſu, decocti ſcilicet albi, tincturæ roſarum, lactis cum aq. triplo cocti, decocti et ptiſanæ pectoralis, emulſionis amigdalinæ, aut è quatuor ſeminibus frigidis, cum decocto C. C. paratæ, &c. diluendam et contemperandam ſedulò ſatagebam.

C. C. C. radix tormentillæ, cortex granatorum et quercus, folia plantaginis, et flores roſarum rubrarum, ingredientibus ptiſanæ aut decocti pectoralis, ad diarrhæam ſicut et ad tuſſim quæ hunc morbum infeſtant, reprimendum et leniendum utiliſſimè adjiciuntur.

Ad ſpiritus refocillandum, julapium perlatum ex aquis ceraſor. nigror. papaver. erratic. cinnamom. hordeat. meliſſ. et flor. calendul. cum margarit. ppt. pulver. è chel. cancror. ſimpl. vel compoſ. lapid. contrayerv. aut goan. compoſitum, pro ætatis ratione et virium languore, cochleatìm propinavi.

Ad hanc quoque explendam indicationem, ſeri lactis canarini vel puri, vel cum lacte tertiâ aquæ parte diluto et cocto parati, hauſtum ſtatis horis pro re natâ conceſſi; Niſi tamen fluxus alvi vehementior hujus uſum prohibuiſſet. Quo in caſu decoct. fracaſtor. cochl. i. aut alterum pro ratione ætatis et languoris virium, ſextâ vel octavâ quâque horâ commodè ſubſtituitur.

Enemata reſtringentia è theriacæ andromachi, aut confectionis fracaſtorii ſine melle

melle doſi opportunâ, in decocto albo, lacte recenti cum ingredientibus reſtringentibus cocto, aut alio quovis ſimili liquore diſſolutâ, unà cum vitello ovi ſoluto, in diarrhæâ pertinaciori ſupprimendâ proficua ſunt ; modò parvâ tantùm quantitate unicâ vice injiciantur ; nec nimìs crebrò repetantur.

Ad diarrhæam ſiſtendum electuarii reſtringentis è pulpâ conſerv. roſar. rubrar. fructus cynoſbat. confectione de hyacintho. terrâ japonicâ, corall. rub. ppt. bol. armen. et ſanguin. draconis, cum ſyrup. corall. compoſ. doſis mediocris ad quantitatem ſcilicet nucis moſchat minoris, vel ad dimidiam hujus doſis partem, ſextâ quâque horâ exhibetur ; ſuperbibendo julap. reſtringent. cochl. ii. vel iii. pro ratione ætatis compoſ. ex aq. germin. quercus, plantag. cinnamom. hordeat. ā. unc. iv. aq. mirabil. et ſtephan. ā. unc. i, ſyrup. è rub. idæo, cydonior. ā. drach. vi. minuendo vel augendo electuar. et julap. doſin, pro ut æger ad adultam, aut puerilem ætatem propiùs accedit.

In ſecundo morbi ſtadio, ſi tuſſis ferina aut pertinax nimiùm ſæviat ; diarrhæa inſupèr et vigiliæ pertinaces ultrà modum

dum excandeſcant; hauſtus paregoricus omni veſperi propinari debet, niſi ſtrangulatio ſuffocativa, aut anheloſa pulmonum inflammatio contrarium indicent. In iſto autem caſu venæſectio repetita, omiſſis paregoricis, anheloſis et ſtrangulatis, ſive ab inflammatione pleuræ, aut pulmonum, ſivè glandularum laryngis aut pharyngis, deglutitio et reſpiratio læſæ fuerint, appoſitè indicatur; et liberali manu pro inflammationis et ſymptomatum indè ortorum magnitudine aut ſævitiâ, ſucceſſivè celebrari debet.

In hoc etiam caſu, veſicatoria ampla et acria ad nucham, carpos, et tibias internas pro re natâ in periculoſo hoc et pertinaci morbo ſucceſſivè applicanda legitimè indicantur; ſi præſertìm venæſectio repetita, decocta pectoralia, ptiſanæ pectorales affatìm pro potu ordinario hauſtæ, linctus pectorales, linimenta pectoralia emollientia et relaxantia, pulveres diuretici alkalini, trochiſci balſamici in ore detenti et ſensìm deglutiti, fomentationes, pediluvia, et cataplaſmata emollientia, emulſiones amigdalinæ refrigerantes, diæta tenuis et parca, aliaque methodus appropriata antiphlogiſtica in uſum vocata propoſitum et optatum finem non aſſequantur.

Liveſcentibus autem, aut nigreſcentibus in adultis maculis, ſi ulla omninò ſalutis ope medicâ recuperandæ ſpes affulgeat; venæſectione copioſâ repetitâ, et regimine temperato unà cum veſicatoriorum ſucceſſivâ applicatione, pernicioſo huic et fatali ſymptomati ſeduló occurrendum eſt.

Pereunte et emoriente penitùs effloreſcentiâ, ſi peripneumonia, pleuritis, aut angina ſuperveniat; non tantùm pectoralia idonea, linimenta, emulſiones, julapia temperata alkalizata, enemata emollientia, et epiſpaſtica in uſum trahenda ſunt; ſed phlebotomia inſupèr liberali manu celebranda eſt. Atque in omnibus ita procedendum, ac ſi morbi hi omninò primarii et originales fuiſſent, non verò morbilloſæ colliquationis pravi effectus, aut ſymptomata anomala.

Febre morbilloſâ penitùs evictâ, et tuſſi, alvi fluxu, cæteriſque colliquationis ſymptomatis felici eventu ſublatis; catharticis tantummodò repetitis primùm mitioribus, deìn fortioribus, ſeroſæ lymphæ colluvies à fermento morbifico colliquatæ, (debitis interjectis intervallis) deturbanda eſt.

Si tamen exuberantes admodum fermenti hujus colliquantis ſuperſint reliquiæ; hæ repetitis corticis peruviani doſibus, (præmiſſâ ſempèr ſanguinis miſſione et reliquâ methodo antiphlogiſticâ) ſubigendæ ſunt; priuſquàm ſanguinis maſſa catharticis prærnaturè exhibitis ulteriùs exagitetur: alioquin fons perennis ſeroſæ et colliquatæ lymphæ è glandulis occulorum, aſperæ arteriæ, aut inteſtinorum ſcaturiens et à ſanguine præternaturalitèr colliquato ſuppeditatus, catharros, phthiſes pulmonares, ophthalmias, diarrhæas colliquativas, aliaque hujuſmodi mala producet.

In febris poſt efflorеſcentiæ declinationem ſubſiſtentis remiſſione, corticis peruviani uſum in formâ ægro gratiſſimâ, ſolidâ ſcilicet vel liquidâ, feliciſſimum ſæpiſſimè expertus ſum; licet ſeriò cavendum ſit, nè inflammatis pleurâ aut pulmonibus prædictus cortex miniſtretur.

Hunc corticem in formâ boli aut tincturæ, vel in julapio aliquo commixtum, durante febris remiſſione aut intermiſſione, ſtatis horis doſi ægrotantis ætati proportionatâ, ſemper cum optato ſucceſſu præſcripſi.

Ab hujus medicamenti uſu omnia colliquationum ſymptomata, tuſſim v. g. ferinam, inappetentiam, febrem intermittentem, aut remittentem, diarrhæam, febrem hecticam, catharrum, ſeroſam in occulos fluxionem, &c. ſensim et brevi tempore evanuiſſe coacervatis experimentis frequentiſſimè obſervavi.

Catharticum poſt morbi declinationem tèr quatèrve repetendum eſt, debitis ſemper interpoſitis intervallis. Et poſt quamlibet doſin ad duos, tres, vel quatuor dies, corticis peruviani uſus ſtatis horis continuandus eſt, antequam æger iterum ad catharſin regrediatur.

Hâc methodo nova ſanguinis exagitatio, et fermenti non penitùs ſubacti ſicut et febris repullulatio præpediuntur.

Fermentum truculentius et maſſam ſanguinis in fluorem adigens, calorem hecticum ſcilicet, diarrhæam, tuſſim, ſudores colliquativos, ophthalmias, &c. poſt macularum declinationem producens, uſum corticis peruviani catharticis præmittendum eſſe indicat: Invocatis intereà ad orgaſmum humorum imminuendum, venæſectionis, et opiatorum ſuppetiis.

Methodus

Methodus prædicta in morbillorum epidemicorum curatione mihi feliciſſimè ceſſit. Nec, ſi bene memini, è magno ægrotantium numero, quos antedictâ methodo tractavi, vel unus fatis ſuccubuit. Et perpaucos quidem ſi ullos, hoc modo a morbi principio legitimè tractatos, funeſtum aliquod vel gravius colliquationis aut inflammationis ſymptoma in morbi declinatione vexabat.

Cum autem antequàm hanc methodum expertus fuerim; pluriès vocatus fuiſſem ad inviſendum ægros à peripneumoniâ, anginâ, et diarrhæâ colliquativâ in morbillorum declinatione ſupervenientibus penè confectos, et in ultimo quaſi mortis agone conſtitutos, qui in morbi initio, nullâ omnino evacuatione præmiſſâ, ſudorificis, alexipharmacis inflammantibus, et ſtragulorum numeroſorum pondere ab empiricis et mulierculis obruti, in hunc nempe finem ut venenatum ſcilicet, et inimicum fermentum a corde, ut vulgò aiunt, propellatur; Hinc facilè percepi ſymptomata prædicta exaltatæ præter modum inflammationis, et colliquatæ penitùs à præfervidâ illâ & præpoſterâ methodo ſanguinis texturæ, eſſe genuina phænomena; et mecum ſeriò ſæpius reputavi

non

non leviora forſan à venæſectione et e-metico, in efflorefcentiæ hujus apparatu in uſum trahendis, huic morbo debellando ac-ceſſura emolumenta; quam quæ in vario-larum confluentium curatione, ab iiſdem remedijs primâ morbi invaſione præſcrip-tis orta obſervantur. Quia morbillis non minùs quam variolis colliquativa inflam-matio eſſentialis eſt, et omnium ſuperve-nientium ſymptomatum radix, et origo prima.

Subiit pariter in mentem morbi cauſæ partem aliquam ſalivæ commixtam, in ventriculum delapſam, & ſtomachum nau-ſeantem, emetici è rad. ipecacoan. confla-ti, et præmiſſâ venæſectione in morbi apparatu tempeſtivè propinati virtute, tam feliciter in morbillis amandari et rejici poſſe, quam in confluentibus variolis aut febribus aliis quibuſcunque epidemicis fieri ſolet.

Ad hanc inſupèr medendi methodum proſequendum, alacriorem mihi adhuc ad-didit animum ratio hæc; quòd quemad-modum venæſectio et regimen antiphlo-giſticum in principio morbi inſtituta, col-liquationis præſentis progreſſum nimis e-vectum ſufflaminare valeant; Ita et mor-

borum

borum inflammatoriorum ſuccedentium in morbi declinatione ſuperventum quodammodo præcavere poſſint.

Quod vomitorium etiam è radice antedictâ conflatum, morbi cauſam in ſtomacho ſtabulantem non tantum amandare aut minorare queat, ac tuſſim ſublevare; ſed aſtrictoriâ quâ præ aliis quibuſcunque emeticis pollet virtute, diarrheæ iſti ſymptomaticæ, colliquativæ, et periculi pleniſſimæ, huic morbo frequentiſſimè ſupervenienti efficaciter occurrat.

Quæ verò a methodo et evacuationibus memoratis metuenda ſint incommoda, a tempeſtivâ veſicatorii ad nucham applicatione non tantum felicitèr præcaveantur; ſed ſerum inſuper acre a glandulis laryngis, pharyngis, & bronchiorum ramulis derivando; peripneumonia, tuſſis ferina, angina, et reſpiratio ac deglutitio difficilis quæ huic morbo ſupervenire, aut poſt declinationem eundem ſubſequi ſolent, auſpicatò avertantur.

His igitur incitatus rationum momentis, & animum interea advertens ad dira illa et maxime funeſta, morbillos epidemicos concomitantia ſæpiùs aut ſubſequentia ſymptomata

tomata frequentiſſimè inſanabilia, & ad luctuoſam pariter hinc ortam ſpeciei humanæ ſtragem; methodum prædictam, quæ mihi huc uſque, favente ſummo numine, feliciter ceſſit, concinnavi.

Hiſtorias innumeras in confirmationem methodi ſupradictæ adducere poſſim; quas brevitatis cauſâ conſultò omitto; ne jam dicta pluriès repetendo tædium lectori crearem; nevé libellus noſter ultra inſtituti rationem, in majus quam par eſt volumen excreſcat.

CAPUT VII.

De febribus intermittentibus, Annor. 1717, 18, &c.

FEbris intermittens vel quotidiana eſt, vel tertiana, vel quartana: ſimplex; aut duplex. Ab horrore, algore, et rigore orditur paroxyſmus; quibus mox ſuccedunt calor acris et intenſus, pulſus celer, magnus

magnus et fortis, cephalalgia, ſitis inexplebilis, jactatio inquieta, et ſæpe dilirium.

Paroxyſmum ab initio concomitantur nauſea et vomitio; ægritudo magna et univerſalis; laſſitudo; lumbago; lingua alba humida, et procedente paroxyſmo aliquandò ſicca; ac Urina rubra ſedimento poſt criſin lateritio ſtipata. Paroxyſmus ſudore profuſo terminatur, ſub cujus finem æger ſomno profundiori plerumque refocillatur. Quotidiè autem, tertio, aut quarto quoquè die, vel ſæpiùs revireſcunt memorata ſymptomata; et paroxyſmus de novo recrudeſcit.

Typum intermittentis præcedunt ſæpè ad plures dies laſſitudo ſpontanea, inappetentia, totius corporis gravedo, ægritudo quædam univerſalis moleſta quotidie aucta, et febris ſæpe continua uſitatis ardentis febris ſymptomatis ſtipata; quæ poſt octo nonnunquam aut plures dies (urinâ rubrâ ſedimentum lateritium deponente præmonſtrante viam) peculiarem febris intermittentis formam induit: quæ quidem urina rubra ſedimento lateritio donata, cum intermiſſione licet inchoatâ et ſubobſcurâ concomitante, pathognomonicum inter-

mittentium ſignum meritò habetur; ut repetitâ ſæpiùs experientiâ notavi.

Qui naturæ conamen materiam morbificam ſub finem paroxyſmi per ſudores amandare ſatagentis præ impatientiâ aut pertinaciâ repellunt, dum frigido aeri, uſitata lecti ſtragula temerè deponendo, aut linteamina lecti frequentius commutando, ſeſe nimis inconſultò objiciunt ægri; vel dum durante paroxyſmo in lecto contineri nequaquam patiuntur; hi aut morbi pervicaciam et longitudinem hiſce erroribus invitant; aut febrem in continuam vel alios periculoſos morbos ſæpe tranſmutant.

Aer humidus, pluvioſus, paluſtris, nebuloſus, et ſerotinus; venus immodica; vigiliæ immoderatæ; tranſpiratio læſa; frigus ſuſceptum; nimia compotatio diu continuata; nocturnæ lucubrationes; præpoſterus rerum aliarum non naturalium uſus; et epidemica certa ac peculiaris aeris conſtitutio ad febres intermittentes producendum et fovendum inſignitèr conſpirant.

Poſt duos vel tres abſolutos paroxyſmos, emeticum præſcribo è rad. ipecacoan. doſi ægrotantis viribus et ætati accomodatâ conflatum. In temperamentis ſanguineis et plethoricis, ſi juniores præcipuè et ætatis

tatis florem nondum prætergreſſi ſint ægri; doloribus ſpaſmodicis rheumatiſmum, pleuritidem, colicam, vel nephritidem æmulantibus torqueantur; aut ſymptomatis apoplecticis vexentur; ſanguinis miſſio in paroxyſmorum intervallis unicâ ſaltem vice inſtituta emetico præmitti debet; et ſi habitus corporis cachecticus fuerit; potio purgans communis, præmiſſo tamen priùs emetico, corticis uſui cum felici ſatis ſucceſſu quandoque præmittitur.

Caſibus jam memoratis tantummodò exceptis, à venæſectione, catharſi, aut repetito enematum uſu religioſè manum tempero; et in paroxyſmorum intervallis propinato priùs è rad. ipecacoan. uno vel altero poſt debitum intervallum emetico, ad ſequentem medendi methodum me ſtatìm accingo.

R. cort. peruvian. elect. ſubtiliſſimè trit. unc. 1. ſal. abſynth. drach. 1. pulver. rad. ſerpentar. virginian. coccinel. antimon. diaphoret. ā. ſcrupul. ii. cum ſ. q. ſyrup. è rub. Idæo f. electuar. debitæ conſiſtentiæ. capiat quantitatem nucis moſchat. quartâ quâque horâ extrà paroxyſmum; ſuperbibendo cochl. iii. vel. iv. vini amari ſequent.

R. cort. peruvian. elect. craſſiuſculè trit. unc. i. rad. ſerpentar. virginian. pulveriz. coccinel. ā. ſeſquidrac. flor. camæmel. m. i. ſal. abſynth. drach. ii. infunde, ut artis eſt, et ſine igne in vin. rub. gallic. libr. iv. poſt debitam infuſionem coletur in uſum ſupradictum.

Junioribus et delicatulis frequentèr propino cochl. duo, tria, vel quatuor pro ratione ſcilicet ætatis, tinctur. cort. vin. rubr. gallic. parat. vel julap. alicujus cordial. temperat. cum cort. ſubtiliſſimè trit. ſaturati cochl. i. vel ii. tertiâ aut quartâ quâque horâ in paroxyſmorum intervallis; Omiſſis interìm electuario, et vino amaro ſupradictis. Et huic methodo inſiſtendum eſſe ſuadeo, donec ſymptomata omnia febrilia et paroxyſmorum revireſcentia penitùs ſupprimantur.

Ad recidivam præcavendum; poſt octo ab abſumpto penitùs electuario et vino amaro prædictis dies; eadem remedia repetere ſoleo; etiamſi æger nè minimam quidem paroxyſmorum recrudeſcentiam perſentiſcat. Horum autem remediorum doſes, hujus repetitionis occaſione opportu-

nas

nas ſextis tantùm horis capere ſufficit; donec electuarium et vinum amarum ſecundâ vice abſumpta fuerint.

Diebus abhìnc octo vel decem iterùm prætergreſſis, eadem remedia tertiâ vice doſibus opportunis, ſextâ ſcilicet quâque horâ ut ſuprà inſtitutis miniſtrari et abſolvi ſuadeo; ad recidivationem cui hic morbus præ aliis ferè omnibus nimiùm proclivis eſt, præcavendum.

Verùm ſi ex errore aliquo in rerum non naturalium uſu, remediorum præſcriptorum neglectu, aut diarrhæâ ſuperveniente recidivatio contingat; ab emetici exhibitione curationem de novo aggredior, et eâdem omninò in reliquis methodo procedo, quâ à primâ morbi invaſione uſus ſum: (Exceptis tamen phlebotomiâ et catharſi) quæ ſi primariò, quod rarò admodùm evenit, neceſſaria fuiſſent; hìc repetere penitùs ſupervacaneum foret; niſi tamen ſymptoma quoddam novum et inuſitatum ſuperveniens contrarium requirat.

Diæta in paroxyſmo tenuiſſima et parciſſima indicatur, hordeacea v. g. avenacea tenuia, et ſimilia. Potus largus, tepidus

tepidus, diluens et tenuis; aqua ſcilicet pane toſto calefactâ et aurantiorum ſucco acidulata; ptiſana tenuis aquoſa et refrigerans; ſerum lactis limpidiſſimum cum lacte aquæ tertiâ parte commixto et cocto et vino canarino paratum; aut infuſio levior foliorum theæ viridis cum præfato ſucco pari modo acidulata pro ægri palato et deſiderio, ad ſanguinem diluendum & ſitim ſedandum commodiſſimè uſurpantur.

Ad vires inter ſudandum ſuſtentandum & ſpiritus oppreſſos refocillandum, hauſtus ſeri lactis canarini tepidi, aut vini cum aquâ diluti & aurantiorum ſucco acidulati, vel julapii cordialis temperati cochl. aliquot ſubindè propinantur. In paroxyſmorum autem intervallis juſcula vervecina, aut è carnibus pullorum; ova ſorbilia; et pullorum aut cuniculorum carnes in prandium ſaltem tutò miniſtrantur; vinum interim aquâ dilutum cum ſucco aurantiorum ad gratam aciditatem commixtum pro potu exhibetur. Legumina omnia, cereviſia, pomacea, lac, lacticinia, & piſces omnigeni procùl arceantur.

Ab aere nocturno, ſerotino, humido, nebuloſo, pluvioſo, perfrigido, paluſtri & maritimo cohibentur ægri. Aer apricus, campeſtris,

campeſtris, diurnus, ſiccus, purus, gravis, & elaſticus commendatur.

Ad diarrhæam ab uſu corticis peruviani ad hunc morbum debellandum uſurpati, ortam amovendum; mihi ſemper familiare eſt addere alternis electuarij prædicti doſibus gutt. aliquot L. liq. ſydenhamiat. v. g. iii. v. vel vi. plus minùs pro ratione ætatis et hujus ſymptomatis vehementiæ. In hunc finem radix tormentill. Cortex quercus, et granatorum ingredientibus tincturæ aut vini amari dum hæc remedia parantur, cum ſucceſſu felici adjiciuntur.

Bolus armen, terra japonica, corall. rub. ppt. cortex granator. pulveriz. ſpecies diamb. ſ. o. ſpecies diaſcord. ſ. op. aut his ſimilia cum cortice peruviano in formâ electuarij miniſtrando, ad diarrhæam præcavendum utiliter ſociantur. Et quia ab hoc ſymptomate ſubſiſtente corticis vires penitus eluduntur, ad idem certius debellandum non tantum ad medicamenta, ſed & ad diætam inſuper idoneam ſedulo inſtituendam omni ſtudio accurrendum eſt.

Urgente igitur diarrhæâ, præſto ſint in diætam ovum ad ignem recens toſtum, gelatina c. c. juſcula orizata, aut è pullorum carnibus cum c. c. c. orizâ, et cruſtâ panis albi

albi parata; Et potus ſit decoctum album cum vino rubro gallico ſemicocto commixtum, vel decoctum rubicundum. Irritis his et enematum reſtringentium uſu, corticis doſis minuenda eſt et rariùs exhibenda; ſuperbibendo poſt quamlibet doſin julapii cordialis reſtringentis cochl. aliquot, vel decocti Fracaſtor. phar. Quincy. cochl. duo.

Equitatio in aere aprico campeſtri ruſticano diurna continuata, extremorum linteis ſiccis fricatio repetita, & vinum rubrum gallicum annoſum, modicâ quantitate poſt omnem paſtum hauſtum, ad morbum debellandum et recidivam præcavendum haud parum conferunt.

Ad febrem intermittentem ſæpius recidivantem tutò, citò, et jucundè amoliendum; chalybeata cum cortice peruviano ſociata efficaciſſima frequenter obſervavi.

Chalybs in tali caſu commodè et utiliter exhibetur, vel in ſubſtantiâ ſtatis horis unà cum febrifugo, electuarii aut boli formâ; vel infundi opportunè poſſunt ſine igne cortex peruvianus, limatura martis, radix gentianæ, galangæ, ſerpentariæ virginianæ, coccinella, ſal abſynthii, cortex cinna-

cinnamomi, aurantiorum, &c. proportionatâ ſatis & idoneâ quantitate in vino albo gallico ut fiat tinctura; cujus colatæ et debitâ infuſione paratæ capiat æger uncias duas quartâ aut ſextâ quâque horâ extra paroxyſmum, vel ſeorſim vel immediatè poſt doſin electuarii ſupra præſcripti. Nonnunquam etiam harum formularum loco, guttæ quindecem vigenti aut triginta tincturæ martis aureæ Phar. Quin. cum eventu ſatis felici adjiciuntur alternis doſibus electuarii aut tincturæ, quæ juxta ſuperiùs memorata è cortice ſineChalybe parari ſolent.

Emaciatis et hecticis compluribus febre intermittente laborantibus, tincturæ corticis peruviani electiſſimi in aquâ fontanâ repetitis decoctionibus cum additione corticis quercus, rad. tormentillæ, aliorumque reſtringentium et pectoralium pptæ. pro re natâ uſum utiliſſimum et feliciſſimum obſervavi; ad uncias duas vel tres quartâ vel ſextâ quâque horâ miniſtrandum.

Infantibus verminuloſis et hecticis, poſt bolum vermifugum octavâ vel duodecimâ quâque horâ ſumendum, tincturæ præcedentis cochl. aliquot pro ratione ætatis, cum felici ſucceſſu ſæpius propinavi.

Calor hecticus a remediorum vermifugorum exhibitione augendus prædictâ tincturâ mitigabatur; quo uſque ab æthiope minerali, ſemin. ſantonic. corallin. &c. in formam boli redactis, et nativâ corticis amaritie putredini inimicâ, vermium latitantium fomes et pabulum penitus abſumantur. Verùm in hoc caſu reſtringentia, et pectoralia plerumque omittuntur; et rhabarbarum ſæpiùs tertio ſcilicet vel quarto quoque die modicâ doſi opportunè miniſtratur.

Elixir. vitrioli optimum eſt in intermittentis febris curatione cortici peruviano ſuccedaneum. Quia ſolida laxata reſtituit, elaterem minus intentum reſtaurat, et fluidorum viſciditatem imminuit.

Febrem in puerulis poſt longum corticis peruviani uſum pertinacitèr ſubſiſtentem, hoc demum remedio (irrito prædicto cortice) tutò, citò, et jucundè profligatam expertus ſum.

In fæminarum menſium ſuppreſſione laborantium intermittentibus curandis, chalybeata cum aromaticis amaris, et cortice peruviano ſociata commodiſſimè præſcribuntur.

In

In intermittentibus tractandis, emetica poſt debita intervalla ſæpiùs repetita ſummè proficua ſunt. Aut enim febrem penitùs amovent; aut cortici inſecuturo aditum parant perfacilem, felicem, et efficacem.

Debilioribus, hyſtericis, infantibus, ſenibus, et morbo alio præcedenti diuturno mulctatis, vel hoc ipſo longius protracto ultra modum debilitatis, quia vires emetico tolerando haud pares obſervabantur, corticem peruvianum ſtatis horis in paroxyſmorum intervallis illico exhibere, nullo omnino medicamento emetico præmiſſo nunquam dubitavi.

Morbo tandem hâc methodo inducias dante, et reſarcitis poſt paucos inſequentes dies a paroxyſmorum ſuppreſſione quodammodò viribus, propinando dein emetico, et morbo methodicè et radicaliter ſanando via ſternitur facilis et aptiſſima.

Senibus et quovis modo confectis aut enervatis, durantibus algore, horrore, et rigore, hauſtum aliquem alexipharmacum in formâ julapii, tincturæ, vel infuſionis miniſtrare ſoleo; aut ſeri lactis canarini calefacti hauſ-

tum, vel vini canarini ſemicocti et cum ſpeciebus aromaticis conditi cochlear. aliquot. propino; aut bolum alexipharmacum è rad. ſerpentar. virginian. croco, coccinellâ, et ſimilibus compoſitum vorandum trado; ſuperbibendo hauſtum ſeri lactis canarini calefacti, aut julap. cordial. cochl. iii. vel iv.

CAPUT VIII.

De Pleuritide et Peripneumoniâ.

PLeuritis vere inflammatoria eſt febris acuta continua, cum propriâ et peculiari membranæ coſtas ſuccingentis inflammatione conjuncta.

Peripneumonia eſt febris acuta continua, cum ipſius pulmonum ſubſtantiæ inflammatione ſociata.

A rigore et horrore ordiuntur: Quos excipiunt calor, ſitis, ægritudo, jactatio inquieta, aliaque febrium acutarum uſitata ſymptomata.

Pleuritidi poſt aliquot à primâ invaſione horas, ſeriùs ocyùs accedit dolor lateris ad coſtas punctorius, et lancinans; collum

collum verſus, humerum, aut claviculam extendens; cum brachii quandoque gravitate, et ſtupore. Nunc ad dorſum, ſæpe ad mammam et pectoris anteriora, non raró etiam ad coſtas nothas et præcordia progreditur.

Adſunt præterea pulſus tenſus, celer, durus, inæqualis, ſæpe intermittens, nec valde magnus; et tuſſis crucians initio ſicca, quâ parum aut nihil per ſputum rejicitur; procedente morbo ſæpe humida cum ſputo primò tenui, cruento, deinde cocto, copioſo, flavo, ſanguineo, et purulento conjuncta. Durante morbi incremento, febris et alia ſymptomata ingraveſcunt.

Sputum morbi initio crudum, tenue, et paucum; procedente præcipue vero ad criſin et declinationem morbo, copioſum, concoctum cum multo levamine excernitur. Alvus nunc ſtipata nimis; nunc præter modum dejectionibus liquidis ſoluta.

Diarrhæa morbo ſuperveniens ſputum reprimit: vires exhaurit: ſpirandi difficultatem infert: febrem adauget: et niſi opportunâ methodo tempeſtivè tollatur; delirium et alia funeſta ſymptomata, ac mortem ipſam invocat; ut frequenti obſervatione didici.

Om-

Omnem ſexum et ætatem, præcipue vero adultos temperamento ſanguineo præditos, fibrâ tenſâ et rigidâ donatos, nimis exercitatos, vino et liquoribus ſpirituoſis nimis indulgentes, plethoricos, et quibus uſitatæ et debitæ evacuationes caſu aliquo ſupprimuntur, aut quos ſubitaneæ nimis et inconſtantes, frigidi ultra modum et calidi cæli viciſſitudines vernali præſertim tempore afficiunt, primariò adoritur pleuritis; quæ tunc genuina, eſſentialis, et idiopathica vocatur.

Quæ vero ab alio præcedenti inflammatorio morbo per accidens tantum ortum habet, ſive a medicamentis purgantibus perperam in uſum adhibitis, ſive a frigore percepto, ſive denique a præpoſtero medicamentorum calidiorum, in quarundam febrium initio quod quandoque fieri ſolet, uſu, ad extorquendos ſcilicet per vim ſudores, materia febrilis cruda adhuc et inconcocta in pleuram conjiciatur; ſymptomatica pleuritis appellatur. Si autem in muſculis intercoſtalibus aut partibus exterioribus hæreat morbi materia; ſpuria tantum cenſenda eſt.

In Peripneumoniâ difficilis et frequens reſpiratio eſt. Tuſſis, præcordiorum, et totius

pectoris

pectoris gravitas atque diſtenſio adſunt, ſæpe ſine dolore: malæ rubent: Occuli eminent: Lingua humida quandoque et ſicca eſt: Sputumque ſæpiſſime cruentum. Pulſus mollis eſt, undoſus, magnus, celer, ſæpe intermittens. Quod tuſſi rejicitur, modo cruentum eſt; modo flavum. Æger lubentèr cubat ſupinus. In latus reclinatus quaſi ſuffocari videtur.

In graviori malo continua oritur vigilia, delirium, ſoporoſi breveſque ſomni; ſputum cruentum admodum et floridum eſt. Reſpiratio anheloſa; debilitas ſumma; pulſus exilis, mollis, omnimodè inæqualis et extremorum frigiditas obſervantur.

In hoc caſu niſi alvus multa bilioſa reddat; aut ſanguis è naribus ubertìm fluat; vel copioſiſſimæ fluant urinæ; quarto die aut ſeptimo æger certò moritur; niſi tamen ope medicâ citò relevetur.

Peripneumonia plus periculi quam doloris habet. Inſaniam movens plerùmque lethalis eſt.

Peripneumonia ex anginâ orta intra ſeptimum diem occidit; aut in tabem tranſit.

Quibus

Quibus pleuriticis in principio lingua biliofa fit. Hi ſeptima die judicantur *Hippoc. Coac. Prænotion.* Quibus autem tertiâ aut quartâ die, circa nonam.

Sputum in pleuriticis tertiâ die maturari ac expui incipiens, citiores ſolutiones facit: verum poſterius, tardiores. *Hipp. loco citato.*

In doloribus pleuriticorum commodum eſt alvum molliri, ſputa colorari, ſtrepitus in pectore non fieri, urinam bene procedere: his enim contraria difficilia ſunt. *Idem l. c.* hoc idem et ipſe ſæpius expertus ſum.

Quibus pleuriticis in principio quidem dolores molles ſunt. Quintâ vero aut ſextâ die exacerbantur, hi magis ad duodecimum perveniunt, et non valde ſervantur: periclitantur autem maximè ſeptimâ die ac duodecimâ. Ubi vero bis ſeptem dies effugerint, ſervantur. *Idem l. c.*

Quibus pleuriticis ſtrepitus ſputi multus in pectore eſt, & facies triſtis, et occulus morbi regii colore infectus, ac caliginoſus, hi pereunt. *Idem. l. c.* hoc veriſſimum eſſe pluries obſervavi.

Sputum

Sputum in omnibus pleuriticis, ac peripneumonicis, facile ac citò expui convenit; et flavum ſputo ammixtum eſſe. Quod verò longè poſt dolorem educitur flavum, aut non mixtum, et multam tuſſim inducens, malum eſt. Pravum autem penitùs eſt flavum meracum, et viſcoſum, et album, et rotundum, et cum virore pallidum valde, et ſpumoſum, et lividum, et æruginoſum. *Idem l. c.* Hæc omnia veriſſima eſſe, multoties expertus ſum.

Pejus autem aliquantò eſt id, quod ita meracum eſt, ut nigrum appareat. At ſanguine non multo permixtum flavum in principio quidem ſalutare eſt, ſeptimâ verò die, aut poſterius, minus tutum. Sanguineum verò valde, aut lividum, ſtatìm in principio periculoſum eſt. *Idem l. c.*

Omne ſputum non ſolvens dolorem, malum eſt: ſolvens autem bonum. *Idem l. c.* hujus veritas evidentiſſima eſt.

Bonum verò eſt, et in his, et in omnibus circa pulmonem morbis, facile ferre morbum, a dolore liberatum eſſe, ſputum facile educere, bene ſpirare, et ſine ſiti eſſe, et totum corpus æqualiter caleſcere, ac molle eſſe, et adhuc ſomnos, ſudores, urinas, alvi egeſtiones bonas eſſe. Mala autem ſunt his contraria. *Idem l. c.* Hæc

omnia veriſſima eſſe, repetitis experimentis comprobavi.

Quicunque vero dolores in his locis non ſedantur, neque ad expuitiones, neque ad venarum ſectiones, ac victus rationes, ſuppurantur. *Idem l. c.* hoc idem pluriès notavi.

Quibuſcunque ex peripneumoniâ abſceſſus circa aurem, aut ad infernas partes fiunt, et ſuppurantur, ac fiſtulantur, hi ſuperſtites evadunt. Fiunt autem quibus et febris et dolor affuerit, et ſputum pro ratione non prodierit; Neque bilioſæ alvi egeſtiones, ſolutuque faciles, ac meracæ fiunt, neque urina craſſa valde, et multam ſubſidentiam habens: et alia ſalutaria habuerit. *Idem l. c.*

Abſceſſus ad crura in periculoſis inflammationibus pulmonis, omnes quidem commodi ſunt. Optimi autem, ſputo purulento pro flavo evadente. *Idem l. c.* hoc ex repetito in prædictis caſibus ſucceſſu, ab applicatione veſicatoriorum ad internas tibias, veriſſimum frequentiſſimè obſervavi.

Quicunque vero peripneumonici non purgati ſunt judicatoriis diebus, ſed mente moti quatuordecem dies effugerunt, eos periculum eſt ſuppuratos fieri. *Idem l. c.* hoc plerumque verum obſervatur, niſi copioſæ fluant urinæ.

Corpora exercitata, ac denſa, citius à pleuriticis ac peripneumonicis morbis pereunt, quam inexercitata. Gravedines, et ſternutationes, in morbis circa pulmonem et anteceſſiſſe, et ſuccedere, malum eſt. *Idem l. c.* hoc multoties verum obſervavi.

Quibus verò totus pulmo inflammatus fuerit, una cum corde, ut ad latus allabatur, hi toti reſolvuntur, et jacet æger frigidus, ſenſus exors, moriturque ſecundâ aut tertiâ Die. *Idem l. c.*

Qui ſuppurati fiunt maximè ex pleuritide, et peripneumoniâ, eos calores comitantur, interdiù tenues, noctù vehementiores, et nihil memoratu dignum ſpuunt, et circa collum et claviculam ſudant, et occuli cavi fiunt, maxillæ vero rubent, digiti ſummi deteriùs caleſcunt, ac aſperantur: ungues curvantur, ac perfrigerantur, et circa pedes tumores habent, et circa corpus puſtulas, et abſtinent a cibis. *Idem l. c.* Præfata morbum certò indicant.

Quæ vero brevi rumpuntur, ex notis ad eas conſequentibus cognoſcere oportet, et ex doloribus in principio, ſimul autem, et ſi aliquantò difficiliùs ſpiraverit homo.

Rumpuntur autem plurimæ ſuppurationes partìm vigeſſimâ die, partìm quadrageſſimâ, partìm ſexageſſimâ. Quibus igitur dolor in principio incumbit intentus, et ſpirandi difficultas, et tuſſis cum ſputatione, ad vigeſſimum diem, aut citius, eruptionem expecta. Quibus autem leviora hæc ſunt, juxta rationem. Supputare autem oportet tempus, a quo primum doluit,aut gravatus fuit,aut febriit, aut ſi quando rigor corripuit. Neceſſe eſt autem præcedere et dolorem, et ſpirandi difficultatem,et ſputationem ante ruptionem. *Idem l. c.*

Quibus et febris ſtatim poſt ruptionem decedit, et cibum appetunt, et pus facilè educitur album, inodorum, leve, ejuſdem coloris, et à pituitâ liberum, et alvus parva compacta egerit, plerùmque brevi ſervantur. Quos vero his contraria ſequuntur,moriuntur. *Idem l. c.* Hæc eadem in práxi ſæpius vera notavi.

Qui ſuppurati futuri ſunt, primum ſalſuginoſum ſpuunt, deinde dulcius. *Idem l. c*

Quibus latus ſublevatum in tumorem, ac calidius eſt, et inclinatis in alterum, gravitas aliqua impendere videtur, his pus ex una parte eſt. *Idem l. c.* hoc conſtanter verum obſervatur.

Quando

Quando ſputum pro ratione non prodit, febris et dolor manent, (non obſtante ſanguinis miſſione, et legitimâ methodo curandi præmiſſâ,) nec alvus multam bilem profudit, nec urina multa cum ſedimento multo mićta eſt, abſque exitii notis, morbum ſuppurare credendum eſt.

Abſorptâ in venulas materiâ purulentâ; ſi per urinas, aut alvum exturbetur, vel per abſceſſus in partes ignobiles, pulmone liberato, transferatur, vel ſi diſrupto abſceſſu pus in pectoris ſpatium cadat, indèque intra quadraginta dies anacatharſi rejiciatur, æger liberari poteſt.

Pleuritis in peripneumoniam facilè tranſmutatur. Uterque morbus, prout legitimâ aut præpoſterâ methodo ab initio tractantur, materiæ morbificæ coctio ritè aut perperàm perficitur, ſputa uberiùs vel parciùs anacatharſi rejiciuntur, et morbi ipſi ſuâ naturâ majores ſunt, vel leviores, criſi fauſtâ vel funeſtâ die ut plurimum ſeptimo, nonnunquam maturiùs, quandoque et nono, undecimo, aut decimoquarto terminantur.

Sanguis pleuriticorum, et peripneumonicorum, è vena extractus, pelliculâ ſeu cruſtâ albâ in ſuperficie donatur. Hic è vulnere

largo,

largo, pleno ſaltu verſus horizontem proſiliens, præfatum colorem obtinet; et à tali ſanguinis miſſione æger in inflammatoriis morbis præcipuè ſublevatur; ut conſtantibus et milliès repetitis experimentis comprobatum habeo.

Hoc enim evacuandi modo, pars ſanguinis ſpiſſior, et ab inflammatione denſior, et viſcida facta extrahitur; pars vero fluida, et functionibus animalis œconomiæ ſuſtentandis aptiſſima retinetur. Unde et a ſanguinis miſſione ex orificio anguſtiori, vel dum ſanguis per cutem perpendicularitèr repit, quia magìs fluida tunc tantum ſanguinis portio detrahitur, (retento inflammato, effæto, et inutili) proſternuntur magis ægri vires, nec inſuper ad morbum debellandum aut amoliendum æqualiter confert.

Perperam agitur cum pleuriticis et peripneumonicis qui nihil expuunt, niſi copioſæ fluant urinæ. *Hip*. 4. *acut*.

Quicunque verò ea quæ inflammata ſunt, in principio morborum, medicamento ſolvere aggrediuntur, hi de intento quidem ac inflammato nihil auferunt: non enim remittit affectio quæ adhuc cruda eſt: quæ verò morbo reſiſtunt, ac ſana ſunt, colliquefaciunt: debili vero evadente corpore, morbus

morbus invaleſcit. Cum autem morbus corpori prævaluerit, tale jam incurabiliter affectum eſt. *Hipp. de victus ratione in acutis.*

Curatio.

In pleuritide inflammatoriâ, et peripneumoniâ, quamprimùm accerſor, ſanguinem mitti jubeo ad uncias circiter decem, ſi adultus ſit æger, et ad quartum vel quintum uſque diem, manè, et ſerò, phlebotomiam repeto, ſi ſymptomata pleuritica, vel peripneumonica vehementia ſint; aut pertinaciùs ſubſiſtant.

In vehementiori morbo, tempore vernali, & temperamento ſanguineo plethorico juvenilem ætatem nondum prætergreſſo, ſanguinem octavâ quâque horâ, ad biduum aut triduum mittere, imo & ſextâ omni horâ ad diem unum vel alterum venam tundere, ſæviente ultra modum lateris dolore punctorio horrendo, & urgente reſpiratione nimis difficili, anheloſâ, & ſuffocante, non dubitavi.

Quotìes autem, et quantâ copiâ in his morbis ſanguis mittendus ſit, aut quantum ſanguinis diſpendium debellando morbo ſufficiat, certó definire difficillimum eſt. Ætas enim, temperamentum, regio, anni tempus,

nativa

nativa ſolidorum et fluidorum compages, morbi alii in corpore prædominantes, morbi præſentis cauſæ proximæ, res non naturales, et harum uſus, ſexus, vires, morbi ipſius, ac ſymptomatum magnitudo, et infinita alia ſagaci medico hâc occaſione ſedulò penſitanda ſunt.

Venam quidem a morbi principio, ad quartum vel quintum uſquè incluſivè diem, manè & ſerò ad uncias octo, vel decem, ſecare mihi ſolenne eſt, in pleuritide & peripneumoniâ vehementioribus; dolore lateris punctorio vehementi, cruciante tuſſi, dyſpnæa immani, ſputo cruento, crudo, difficili, cum pulſu duro, tenſo, vel molli, magno, undoſo, & celeri ſævientibus; ſi tempus anni præcipue vernum ſit, & æger ætatis florem nondum prætergrediatur.

Verùm ſi à phlebotomiâ ſæpìus repetitâ, & aliâ legitimâ methodo in auxilium vocatâ, ſymptomata omnia ante quintum diem miteſcant; pulſus interìm laudabilis, anacatharſis copioſa, reſpiratio facilis, et dolor lateris mitior, vel nullus appareant; ab uberiori venæſectione aut penitùs manum tempero, aut hanc, pro rei tantum neceſſitate, & quando ſymptomata prædicta recrudeſcunt, repeto.

Et ſanè reſpiratio plùs minùs facilis, dolor lateris plùs minùs punctorius, et expectoratio parcior, copioſior, facilior, aut difficilior, cum febris majori vel minori pertinaciâ, et excandeſcentiâ, debito reſpectu ad circumſtantias has omnes ſemper habito, mihi in pleuritide verè inflammatoriâ, et peripneumoniâ, frequentiorem vel minùs frequentem et repetitam ſanguinis miſſionem celebrandi, indicationes legitimas conſtantiſſimè ſubminiſtrabant.

Obſervationibus tamen conſtantèr repetitis compertum habeo, ægrum (quantumvis a venæſectione largâ, tempeſtivâ, & repetitâ, primis morbi diebus celebrata, aliâque debitâ methodo antiphlogiſticâ uſurpatâ, illius res felicitèr et auſpicatò procedere videantur) in vado tamen non eſſe ante diem ſeptimum, in morbo ſaltem verè inflammatorio et magno, ſi febris præſertìm adhuc ſubſiſtat, licet in mitiori gradu; quamvis dolor lateris punctorius, difficilis reſpiratio, et expuendi ſputi difficultas vel imminuantur, vel ut plurimùm diſpareant; et ſigna inſupèr coctionis in urinâ et ſputo eluceſcant; cùm hæc omnia lubrica valdè et fallacia eſſe nonnunquam obſervaſſem; et morbus levi de cauſâ, his non obſtantibus ſalutaribus ſignis, in pejus ante ſeptimum diem ruendi anſam ſæpiùs arripuiſſet.

Quare mihi ſolenne eſt in tali caſu, cunɫa ſedulò ad ſeptimi ſaltem diei exitum adnotare, vel donec febris penitus exulet. Et vel leviori recidivo ſymptomati phlebotomiâ recentèr inſtituendâ ſtatim occurrere, vel pectoralibus, et refrigerantibus, aut relaxantibus medicamentis, veſicatoriis, diureticis, et diætâ convenienti, eidem tempeſtivum pro mei ingenii modulo, et præſentaneum afferre remedium.

In peripneumoniâ verò, poſt unam aut alteram prælargam è venâ brachii ſanguinis miſſionem præmiſſam, ad ſanguinem à pulmonalibus et bronchialibus arteriis revellendum, pulmones levandum, et vaſorum criſpaturas laxandum, ſanguinem è ſaphæna ſemel vel bis, pro morbi et ſymptomatum magnitudine, mitti jubeo.

In pleuritide etiam inflammatoriâ, ſi ſolitaria ſit; et adſit vel delirium actuale, vel minima in delirium propenſio; vel ſi ex reſpirationis difficultate, ſputo difficili, et maximè cruento, morbus cum peripneumoniâ ſociari videatur; venæſectione, ut ſupra obſervatum eſt, è brachio bis terve præmiſſâ, ſaphænæ ſectionem inſtituendam, et pro re natâ repetendam injungo.

Depletis hâc ratione vaſis, in libertatem reſtituuntur fluida, quæ vi oſcillatoriæ inflammationis

flammationis fibrarum pulmonalium, et pleuræ, in ipſis hærere, et craſſeſcere coguntur. Laxatâ proinde, *juxta magni Hippocratis præcepta,* per phlebotomiam largam et repetitam, ſolidorum et fluidorum nimis intentâ compage, debitæ materiæ morbificæ per anacatharſin, aliaſque vias naturæ accomodatas, evacuationes promoventur.

At ſi quidem dolor ad claviculam de ſe ſignificationem præbeat, aut gravitas ad brachium, aut circa mammam, aut ſupra ſeptum tranſverſum; venam ſecare prodeſt in cubiti flexurâ internam, et non cunctari copioſum ſanguinem detrahere; donec multo rubicundior fluxerit, aut pro puro, et rubicundo lividus: utrumque enim contingit. Si verò ſub ſepto tranſverſo fuerit dolor, ad claviculam autem de ſe ſignificationem non præbeat; alvum mollire oportet. *Hipp. lib. de vict. ratione in acut.*

Ægrum ab initio, copioſo emulſionum amigdalinarum, cum ſeminibus frigidis, et decocto hordei, præparatarum potu, decoctis pectoralibus,et ptiſanâ pectorali ex hordeo,liquiritiâ, paſſulis, rad. acetoſ. foliis tuſſilag. capillor. vener. et ſimilibus compoſitâ, calide admodum ſorbillatis, refici, dilui, et contemperari curo; *Juxta illud Hipp. præceptum.* Ubi tuſſes invaſerint, amplius bibendum,

et quam maxime excreandum, et potu humectandum; quo pulmo humidior factus faciliùs ac citiùs ſputum reddat, et tuſſis minùs affligat.

Intereà tamen, ſi alvus nimis aſtricta ſit, eandem enemate emolliente quotidiè ſollicitari volo. Poſt primam venæſectionem, hauſtum ex aquâ papaver erratic. ſal. prunell. et ſyrup. aliquo pectorali compoſitum præſcribo; et pro re natâ die inſequenti repeto. Sequentium interìm medicamentorum uſum præcipio.

℞ ſal. prunell. drach. ii. occulor. cancror. ppt. milleped. ppt. ā drach. i. ciner. bufonum in crucibulo calcinat. ſcrup. ii. ſpermat. cæt. ſcrup. iv. miſce f. pulvis ſubtiliſſimus dividendus in xviii. chartul. æqual. capiat unam ſextâ quâque horâ è cochlear. uno linctus ſequentis; ſuperbibendo hauſtum ptiſan. vel decocti pectoralis calefact.

℞ olei lini, et amigdal. dul. recentèr ſine igne extract. ā unc. i. ſpermat. cæt. drach. iii. ſyrup. de tuſſilagine, capillor. veneris, et violac. ā unc. i. ſacchar. Chryſt. albi. ſubtiliſſimè trit. drach. ii. miſce exactiſſimè, f. linct. de quo etiam ſæpius lambat, urgente præcipue dyſpnæâ, vel tuſſi.

Sequenti

Sequenti etiam linimento latûs affectum in pleuritide, imo et totum pectus in pulmonum inflammatione, mane et ſero calidè illini volo.

℞ unguenti de althæâ unc. ii. olei lilior. albor. ſpermat. cæt. balſam. Leucatelli. ā ſemiunc. olei lini ſeſquiunc. miſce, f. linimentum.

Si diarrhæa, quod ſæpe fit, pleuritidi morbi initio ſuperveniat ſymptomatica; eandem decocto albo pro potu exhibito, decocto rubicundo, aut emulſione amigdalinâ cum decocto C. C. paratâ, ſicut et electuarii, ac julapii reſtringent. pro re natâ uſu, debellare ſatago; ne ab illâ diutiùs perſeverante, legitima anacatharſis et debita materiæ morbificæ concoctio interpellarentur.

Coctionis commoda in pleuritide, et peripneumoniâ, ſunt laxitas partis afflictæ, et materiæ præparatio in craſſitie meabili, exitu facili; tum ipſa meatuum libertas, et fortior naturæ contentio. *Duret. in coac.*

Peripneumoniæ diarrhæa clioſa ſuperveniens, ſæpe ſalutaris eſt; et morbum ſolvit.

Verùm enimverò, ſi poſt largam ſanguinis quantitatem, repetitâ phlebotomiâ è brachio,

chio, et ſaphœnâ extractam, et poſt debitam pectoralium, emollientium, refrigerantium, et diureticorum medicamentorum uſum, ſuperveniant pleuritico, vel peripneumonico ſpiratio difficilis, et excreandi pariter ſputi difficultas; duo ſtatim veſicatoria tibiis internis admoveo juxta *Hipp. obſervationem. In pulmoniis quicunque tumores fiunt ad crura optimi ſunt.*

Si tuſſis etiam catharralis, deſtillationes, aut ſternutamenta, delirium, vel cephalalgia immanis, morbum comitentur; veſicatorium amplum et acre inter ſcapulas applicari jubeo, ante vel poſt applicationem tibiis internis prædictam.

Ab horum veſicatoriorum applicatione, mirari ſæpe ſubiit, quanta in hiſce morbis acceſſiſſe ægris emolumenta obſervaverim. Hinc enim ſputum coctum anacatharſi copioſâ facilè rejectum; ſpirandi difficultatem cum dolore punctorio ſociatam mirum in modum imminutam, vel penitùs ſublatam; diarrhæam infeſtantem debellatam; delirium, cephalalgiam, tuſſim catharralem crucientem, virium debilitatem horrendam, pulſum celerem, parvum, intermittentem, et alia funeſta ſymptomata vel felicitèr amota; vel ſaltem in meliùs mutata; milliès ſi bene memini obſervavi.

Hæc

Hæc autem veſicatoria præmaturè in morbi initio, non præmiſſis venæſectione largâ, et aliâ methodo antiphlogiſticâ, in temperamentis præcipuè ſanguineis,et plethoricis applicatâ, haud ita felicitèr ceſſiſſe compertum habeo; quia à præpoſterâ nimis, et præmaturâ tali applicatione, pleuræ, et pulmonum fibrillæ, ab inflammatione jam ante contractæ, et criſpatæ, a ſtimulo contrahente recenter applicato, adhuc punguntur magis et criſpantur; debitâque his laxitate denegatâ, fluidorum circulus impeditur, ac veluti ſtrangulatur; unde pulmonum, et pleuræ infarctus, delirium horrendum, et phreneticum, reſpiratio læſa, ſputum ſuppreſſum, gangræna, et mors, vel quandoque inſequantur; vel ſaltem hæc eadem non ſine fundamento inſequi poſſe, ſeriò timendum ſit.

Diætam in his morbis, hordeacea, avenacea, orizata, panatellam, gelatinam C.C. et pomum coctum inſtituo. A carnibus, et carnium juſculis ægrum arceo. Decubitum in lecto mollem, quietum, tenebricoſum, et ſtragulis modicè coopertum, commendo.

In utroque hoc morbo, pediluvia tepida a principio, ad ſtatum, ſæpiùs repetenda præſcribo; et ſpongias aquâ dulci calefactâ madidas, partibus affectis frequenter applicari jubeo.

Balneum

Balneum vaporis aquæ dulcis, ad pulmones, nares, os, pedes, et crura, cum fructu ſæpius applicandum eſt. *Juxta illud Hipp. lib. de vict. ratione in morb. acut.*

‘ Convenit autem in totum magis peripneumoniis, quam febribus ardentibus; ‘ nam dolorem lateris, et pectoris, ac dorſi, ‘ balneum lenit, et ſputum maturum facit, ac educit: et facilem ſpirationem reddit, et laſſitudinem eximit, articulos ‘ enim et cutis ſuperficiem mollit. Sed et ‘ urinam ciet, et capitis gravitatem ſolvit, ‘ et nares humectat. Hæc ille.

Suppedanea acria plantis pedum, et columbas per ſpinam ſciſſas, ſæpiùs renovandas, iiſdem etiam partibus (apparentibus vel minimis ſupervenientis delirii ſignis) admovere convenit.

Poſt varias repetitas venæſectiones, et aliam methodum antiphlogiſticam felicitèr in uſum vocatam; ſymptomata morbifica tunc ſubſiſtentia, unà cum febre ipſâ ſociante, à ſudore critico ſpontaneo, die quinto, ſeptimo, nono, quandoque et undecimo, vel decimo quarto, ſuperveniente; tutò, citò, et proſperè, penitùs ſublata fuiſſe, coacervatâ experientiâ compertum habeo.

In

In ſcorbuticis, hypochondriacis, et hecticis habitibus; ſcabiei, hæmorrhoidum fluxibus, et rheumaticis doloribus obnoxiis; pleuritis ex fluxione ſalinâ acri rodente orta, ſi inflammatio pulmonis, aut pleuræ, à ſalinâ acrimoniâ excitata, nimìs evecta non ſit; cautum admodum, et parcum, in mittendo ſanguine medicum expoſtulat.

Prædicti enim, ob ſpirituum inopiam, à ſale nimis exuberante ortam, phlebotomiâ repetitâ læduntur, et enervantur; nec rubedo in horum urinis frequentèr obſervata, exaltato ſanguinis ſulphuri, ut in morbis vere inflammatoriis fit; ſed potius impurorum in ſanguine ſalium redundantiæ debetur.

Emulſionibus igitur amigdalinis, et è quatuor ſeminibus frigidis, aquâ hordei, ptiſanâ ex hordeo, paſſulis, glycyrrhizâ, rad. acetoſæ, fol. malv. tuſſilaginis, &c. compoſitâ, oleo amigdal. dul. recentèr ſine igne extracto, ſpermat. cæt. gelatinis C.C. et ſimilibus, phlebotomiæ nimìs frequentèr repetitæ loco ſubſtitutis; ſalium acrimonia retundenda eſt, et inflammatio ſaltem levior ab iis orta, amovenda.

Si autem inflammatio ab acrimoniâ producta, intenſior facta; frequentiorem ſanguinis miſſionem abſolute neceſſariam reddat; et a tali ſanguinis diſpendio vires ultra

modum debilitentur; aut ſpiritus à dominante ſale ſiderati opprimantur; in hoc caſu, ægrum julapio cordiali temperato, gelatinâ C.C. cum coch. aliquot vini canarini conditâ, vel juſculis hordeaceis, et panatella, vino prædicto modicè ſaturatis, ſero lactis canarino, et ſimilibus, mediocri quantitate, et repetitis vicibus, miniſtratis; reficiendum præcipio.

Proſtratis in caſibus prædictis, à repetitâ nimis phlebotomiâ, ultra modum viribus; et pulſu moribundo, tremulo, vix perceptibili; reſpiratione anheloſâ, citâ, difficili, et maximè laborioſâ; delirio comatoſo; ſputi excreandi difficultate immani; ſibilo et ſtrepitu in pectore; ſubſultibus tendinum, et motibus aliis convulſivis, ſupervenientibus; ſpirit. ſal. vol. oleoſi, ſpirit. vol. C.C. et ſal. armoniaci, largâ doſi in vehiculo idoneo exhibitorum efficaciam ſingularem, et felicem virtutem expertus ſum.

Ab horum namque remediorum uſu, morbus inducias dedit; quouſque à recenti veſicatoriorum applicatione ad carpos, tibias internas, et nucham; reſuſcitatis de novo ſpiritibus; æger diætâ reficiente opportunâ, medicamentis appropriatis, et ſub morbi finem, corticis peruviani, lacteæ diætæ, et aeris aprici ruſticani uſu; ab orci faucibus præter omnem expectationem ereptus fuerit.

Pulſum

Pulſum in pleuritide minùs celerem, aut fortem, (febre tamen acutâ in ſummo vigore nihilominùs ſubſiſtente) ſæpius notavi. Pulſus igitur celeritas, et magnitudo, non ſempèr cum febre inflammatoriâ ſociantur.

Qui in pleuræ, aut pulmonum inflammationibus, pulſui nimiùm fidunt, decipiuntur ſæpè incauti, et minùs exercitati medici; quià ad frequentes hujus mutationes, à coactâ, et præ ſenſu ſummi doloris, quaſi ſuffocatâ reſpiratione, intentâque nimìs partium inflammatarum internâ criſpaturâ, ortas, parùm attendentes, omnia uno quaſi calceo metiuntur; et de febris vehementiâ, aut vigore, juxta fallaces pulſus motus judicium ferunt erroneum, et iniquum.

Hinc præpoſtera medendi methodus, in ægrorum perniciem, et ſaluberrimæ artis opprobrium, præ ignorantiâ aut imprudentiâ fatalitèr inſtituta; hinc debita ſanguinis miſſio debellando morbo accommodata omittitur; hinc etiam emollientium, relaxantium, pectoralium, diureticorum, et antiphlogiſticorum medicamentorum uſus, aut diutiùs protelatur; aut penitùs negligitur.

Neſciunt enim hi ſalutaris artis profeſſores indigni, criſpatis vehementèr partis inflammatæ ſolidis, aliarum corporis

partium fibras, et vaſa per conſenſum criſpari, et fluidorum curſum in his intercipi; undè pulſus tarditas, et apparens languor neceſſariò inſequuntur. Experientiâ enim conſtat, vigentibus nimiis in aliquâ parte doloribus, pulſus parvos fieri; ſudores etiam et alias evacuationes ſubitò ſupprimi; ob criſpaturam ſolidorum vehementiſſimam, ab immodico dolore excitatam. Id in internis viſcerum obſtructionibus, in quibus pulſus parvi conſtantèr obſervantur; ſatis patet.

Sanguis pleuriticorum è ſectâ orificio largo venâ, pleno ſaltu verſus horizontem, arcum deſcibendo proſiliens, qui tametſi vaſe puro exceptus, non tantum pelliculâ, ſeu cruſtâ albâ inflammatoriâ ſuperficiem obducente deſtituitur, ſed floridiſſimo inſupèr colore tinctus, occulis objicitur; magnum preſagit ac ſubitaneum mortis, et gangrænæ futuræ periculum: ut infinitis propemodum in praxi obſervationibus, mihi evidentèr innoteſcit.

Sputa fuliginoſa, cænoſa, ſtrepitus in pectore multus, vultus mæſtus, occuli caliginoſi, pulſus languidus, excreatio ſputi difficilis, et parca, alvi fluxus fætidus et ſymptomaticus, dyſpnæa immanis, et doloroſa pectoris gravitas, gangrænam partes inflammatas cito obſeſſuram, in morte inevitabili (non ſuccurrente arte) terminandam, præmonſtrant.

Aer

Aer tepidus, et humidus; decubitus in lecto quietus in cubiculo tenebricoſo; balneum vaporis aquæ dulcis, ad pulmones, nares, os, pedes, et crura; balneationes tibiarum, et pedum, in aquâ calefactâ, vel decoctis emollientibus; linimenta relaxantia, et emollientia, ad latus dolens in pleuritide, aut ad totum pectus in pulmonum inflammatione, calidiuſculè illinendo applicata; præmiſſo tamen his partibus fotu emolliente, ad ſputum maturandum, et faciliùs educendum; ſolida nimis criſpata laxandum; pungentem in inflammatâ parte dolorem leniendum; et impeditum fluidorum in contractis canaliculis circulum reſtituendum; conferunt.

In pleuritide verè inflammatoriâ, et peripneumoniâ, ſi vel ægri, vel amicorum culpâ, medici ignorantiâ, vel incuriâ, aut aliâ quâcunque de cauſâ; phlebotomia repetita, et alia legitima methodus antedicta omittantur; vel non ſatis tempeſtive miniſtrentur; et morbus intereâ de ſuâ naturâ non ſit adeo malignus, aut periculoſus, ut ægrum ſubito confodiat; ſæpe evenit, ut ad ſuppurationem tendat.

Hoc indicant leves, vagæ, ſæpe recurrentes horripilationes; doloris remiſſio; dyſpnæa manens; genarum et labiorum rubor; ſitis et

febricula

febricula veſpertina; cum pulſu debili et molli, vel parvo et duro.

Factam Suppurationem indicant tuſſis pertinax, ſicca, ad paſtum, et motum aucta; reſpiratio difficilis, parva, anheloſa, ſtrepens, poſt paſtum paritèr, vel motum aggravata; decubitus in latus affectum tolerabilis; febricula continua, periodica, a cibo, potu, motu, exacerbata, cum rubore genarum et labiorum; appetitus proſtratus; ſitis magna; ſudor nocturnus, maximè circa jugulum, et frontem; urina ſpumoſa; pallor; macies; debilitas ſumma.

Quando manifeſta ſeſe produnt pleuriticæ ſuppurationis indicia; locus primò dolens per cauſtica erodendus, et ad pleuram circiter uſque incidendus, et ſuppuratoriis idoneis ad materiæ exitum apertus ſervandus, poſtea emolliendus, et mundandus. Si autem empyema factum ſit; ſtatim aperto thorace, puri exitus idoneus parandus eſt.

Apoſtema pulmonis quandoque ſuffocat ægrum, tumore totum pulmonem occupante; et ſubitaneâ puris eruptione; vomicâ in aſperam arteriam ſe uno impetu exonerante. Solvitur ſputo purulento, liberante, conſumente; lapſu puris in thoracis cava; vel in mediaſtini dilatata vacua; unde tabes, phthiſis, et empyema.

Purulenta

Purulenta materia intra pulmonales venulas reſorpta, ad aures, crura, et hypochondria delata, abſceſſus in his partibus format ; pulmone liberato. Sequitur quandoque ex his morbis tumor pleuræ, vel pulmonum, ſchirroſus, et calloſus; ſine latentis abſceſſus, aut vomicæ ſignis. Hinc pulmonis ad membranam coſtas ſuccingentem adhæſio; difficilis, totâ vitâ, erecta, et tuſſiculoſa reſpiratio; poſt paſtum, et motum aucta.

In vehementiſſimâ pleuræ, et pulmonum inflammatione, debitâ medendi methodo neglectâ ; quandoque et hâc eâdem irritâ ; morbi prædicti in gangrænâ, et ſphacælo terminantur. Hoc malum indicant futurum violentiſſimæ inflammationis ſigna, nullo remedio, aut caſu ſedata ; debilitas ſumma, et ſubitanea ; pulſus celer, parvus, et languidus. Actu formatam gangrænam demonſtrant inſuper ſputa ichoroſa, tenuia, cinericea, livida, atra, fætida, doloris ſine cauſâ ſublatio, ſudores frigidi, et hinc cita mors.

Pleuritide verè inflammatoriâ, et peripneumoniâ, methodo ſuperiùs traditâ, unà cum febre, et reliquis ſymptomatis, ſeptimo, nono, undecimo, vel decimo quarto morbi die felicitèr et tutò impugnatis; in id tantum ſedulus incumbo, ut morbi, et prædictæ colliquationis reliquiæ, lenioribus catharticis,

poſt

poſt debita intervalla repetendis, per alvum deturbentur; et æger diætâ lacteâ, vel aliâ quâcunque conveniente, balſamicâ, et reficiente, ad priſtinum ſanitatis, et virium ſtatum reſtituatur.

Si tamen ab immodicâ ſanguinis, et virium, in morbo truculentiori, jacturâ; præviâ humorum acrimoniâ; enervato, ab inflammationis vehementiâ, et ferociâ, ac regimine ad hanc debellandum accomodato, ſpirituum animalium, et ſolidorum tono; aut colliquato humorum perſeverante ſtatu; febris hectica, ut ſæpè fit, unà cum inappetentiâ, languore virium magno, ſudoribus colliquativis, fluxionibus, aut liquidis alvi dejectionibus, accendatur; miſſis in hoc caſu prædictis penitùs catharticis, vel uno tantum è leniſſimis, ut plurimum, præmiſſo, ad corticis peruviani, medicamenti omnium, quæ hactenùs agnovit, aut excogitavit materia medica, in his rerum circumſtantiis efficaciſſimi, uſum totus accurro.

Electiſſimum hoc pharmacum, apozematis formâ in ſequentem modum præparatum, cum felici ſucceſſu propinare ſoleo.

℞ cort. peruv. electiſſ. craſſo modo inciſ. unc. ii. rad. tormentill. cort. querc. et granat. ſciſſor. ā drach. vi. repetitis in

aq.

aq. fontan. decoctionibus, eliciantur decoct. fortior. libr. iii. ſub finem cujuſlibet coctionis, adjiciendo fol. pulmonar. maculos. veronic. tuſſilag. et flor. bellid. major. ā pug. ii. colaturis demùm omnibus commixtis, diſſolve ſyrup. balſamic. unc. ii. m. f. apozema, vel tinctura.

Hic corticis peruviani in præſenti caſu exhibendi modus, modo tamen ægri palato arrideat; mihi præ aliis quibuſcunque formulis, multis nominibus præferendus videtur.

Primò, quia vehiculum aqueum virtute corticis ſalutiferâ et præpollenti ſaturatum, vaſorum fibrillas nec vehementi, aut ſubitaneâ irritatione ultrà modum criſpat; nec acres humores nimiâ agitatione inflammat.

Secundò, quia contractiva medicamenti vis, à partium conſtitutione petita, et aquoſo menſtruo quadantenùs lenita, ſenſìm tantum et gradatìm fibras laxatas reſtituit; cum è contra cortex in ſubſtantiâ voratus, aut vehiculo vinoſo acutatus, fibrillas minimas jam ab inflammatione vix perfectè liberatas, ſtimulante ſuâ et contrahente virtute, ita potentèr et ſubitò criſpet, aut convellat, ut periculum i ndè fiat, nè in hoc evecto contractionis ſtatu, propter aptitudinem ad talem poſitionem,

quam eis conciliavit nupera inflammatio, placidè quieſcant; nec laxari ſinant: undè fluidorum circulus aut obſtruatur, aut retardetur; et ſymptomata omnia inflammatoria revireſcant.

Tertiò, quià coacervatâ et multotiès repetitâ experientiâ compertum habeo, chinam chinam repetitis in aquâ fontanâ decoctionibus præparatam, ſymptomata febribus inflammatoriis ſuccedentia longè feliciùs ſubjugare, quàm fieri ſolet, quandò cortex vel in ſubſtantiâ, vel in menſtruo vinoſo ſolutus exhibetur. Nec hoc ſedulò attendenti alienum videbitur; cum longè tutius ſit, in colliquativo à præcedente inflammatione ſanguinis ſtatu, fibras laxatas ſensìm et paulatìm reſtituere, quàm eaſdem officioſâ nimìs præcipitatione in priſtinum morbidum et inflammatorium ſtatum præproperè conjicere; quia ut rectè olìm *medicorum Princeps, in aphoriſmis. Quod verò paulatim ſit, tutum eſt*; *tum aliàs: tum ſi ex altero, ad alterum tranſitus ſiat.*

Undè non alii forsàn ſolido fundamento, quorundam medicorum adverſus polychreſti memoratis in caſibus corticis exhibitionem, ſcrupulum innixum eſſe credendum eſt; quàm quòd, ad legitimam et diverſam miniſtrandi, pro circumſtantiarum varietate, hujus medicamenti metho-

dum

dum et formulam parùm attendentes; idem in ſubſtantiâ vel tincturâ, aquoſo aut vinoſo menſtruo paratâ, in omnibus indiſcriminatìm circumſtantiis præſcribant; cum multiplici experientiâ, ſolidis rationibus in oeconomiæ animalis intimâ cognitione fundatis, ſuffultâ, compertum habeatur; aliam exhibendi corticis formulam, corrigendis laxatis à morbo chronico ſolidis, viſcidiſque factis, à diù continuato rerum non naturalium abuſu, fluidis deberi; aliam verò, ad colliquatos à prægreſſâ inflammatione humores, et enervata à repetitâ phlebotomiâ ſolida reſtituendum, pharmaci præpollentis miniſtrandi methodum indicari; quia ut ſolidorum et fluidorum in utroque caſu conditio omnino diverſa eſt; ita et his ſubveniendi modi et rationes, diſcrepare quodammodò debeant.

Quidquid ſit, ingenuè fateor me feliciſſimos in caſibus præfatis, chinæ chinæ effectus ſæpiſſimè obſervaſſe; imò et complures à pleuritide,et peripneumoniâ, recèns liberatos, febre dein hecticâ, maraſmo, inappetentiâ, tuſſi permoleſtâ et pertinaci, ſudoribus colliquativis, diarrhæâ, aliiſque horrendæ colliquationis ſymptomatis, phthiſin pulmonarem acutam præſagientibus, vel actu confirmantibus vexatos; præſtantiſſimi hujus medicamenti virtute, è ſtatu tabido deplorato, in ſanum, vegetum, et athleticum, favente ſummo numine, reſtituiſſe.

Natura in truculentioris pleuritici morbi exitu, penitùs laceſſita, et penè elanguida, præfatis febris hecticæ, et colliquationum ſymptomatis mulctata; quæ vires digerendis materiæ morbificæ reliquiis ſola pares non agnovit; antihectici memorati optimi, ſalutares effectus, et inſignem efficaciam pluriès (ut notavi) experta eſt. Cum ab ejus uſu ad dies aliquot continuato, non tantum appetitum ciborum reſtitui, cæteraque hectica omnia ſymptomata pro tempore ſaltem reprimi, aut debellari ſæpiùs obſervaſſem; ſed renovatis inſupèr hâc ratione quodammodò viribus, et quiete humoribus conciliatâ, naturam in hoſtem potentiùs inſurrexiſſe; remanentem morbi materiam in pus legitimum et boni moris concoxiſſe; ægrumque dein materiam hanc purulentam per vomitum aut anacatharſin cum euphoriâ rejeciſſe; Qui tamen abſque prævalentibus ſalutiferi corticis ſuppetiis, ineluctabili fato, certò, et citò, animam eſſet efflaturus.

Diætam lacteam cum antihecticis, pro re natâ in his caſibus ſociare ſoleo; interjecto ſempèr inter corticis et lactis uſum, debito aliquot horarum intervallo. Aquæ ſpadanæ hauſtum, horâ unâ elapſâ poſt lactis doſin matutinam et veſpertinam propino; vel hujus loco, lactis et a-

quæ

quæ ſpadan. commixt. et. coct. ā. ſemi-libr. manè et ſerò, frigidè, vel calidiuſculè miniſtrari jubeo.

Tinctur. cort. unc. ii. ægro adulto ſextâ quâque horâ exhibentur; et ſi alvus ab uſu tincturæ nimìs ſolvatur; rariùs, durante hoc alvi ſtatu, octavâ ſcilicet, vel duodecimâ tantum quâque horâ miniſtrabitur. ſi tamen hâc cautelâ non obſtante, alvus adhùc adulto nimìs fluat; minuenda erit tincturæ doſis; diæta reſtringens inſtituenda; et hauſtus paregoricus ex aq. cinnamom. hordeat. unc. ii. et ſyrup. de mecon. drach. vi. vel unc. i. horâ ſomni miniſtrandus eſt; noctibus inſequentibus, pro re natâ, et alvi ſtatu repetendus.

Ægrum intereà in aerem apricum, campeſtrem, et ruſticanum relego; et, ut in ſex rerum non naturalium uſu cautè et temperantèr procedat; injungo. Æquitationem initio modicam, et ſensìm auctam, in memorato aere commendo; tandem verò febre hecticâ, maraſmo, et aliis gravioribus ſymptomatis debellatis; temperatâ carnium electarum commeſtione, et idoneo vini cum aquâ diluti pro potu, uſu, ipſum in prandium ſaltem refici permitto.

Animadverti ſedulò debet, an pleuritis, primarius et eſſentialis ſit morbus; an verò acci-

accidentalis, ſymptomaticus, et febri alicui alteri ſuperveniens. In primo caſu, pleuritis legitimâ methodo à nobis ſuperiùs ſtabilitâ tractari debet; in poſteriori verò, morbi primarii, cui hæc ſupervenit; Ratio ſemper habenda eſt. Nec venæſectionibus repetitis, ad hoc ſymptoma debellandum, nimìs pertinacitèr inſiſtendum eſt; ſi morbi originalis natura, præfatam medendi methodum minùs expoſcat.

Quamvis in principio pleuritidis verè inflammatoriæ, confirmatâ ſaltem jam inflammatione, purgandum non ſit; eſt tamen, quando medicus in principio morbi tempeſtivè accerſitus, purgationem inſtituere debeat; ad materiam morbificam, pleuritidem vel actu producentem, vel citò producturam amandandum; in ventriculo, et primis viis latitantem.

Pleuritis iſta, non eſt primariò inflammatoria, ſed à fomite putris cachochiliæ in præcordiis, et primis viis congeſtæ, ortum habet; quæ tamen, neglectis per vomitum, aut alvum, tempeſtivis et debitis evacuationibus, quæ incipiente morbo, medicamentis idoneis ritè ſollicitari debeant; in inflammatoriam, ac funeſtam, ſecundariò inſequentem haùd raro tranſit. Quamvis à purgatione, ut fieri debuit, maturâ, dum morbi cauſa in præcordiis adhùc latitaſſet, inſtitutâ; facili negotio præcaveri potuiſſet.

Hæc morbi pleuritici ſpecies, ſequentibus dignoſcitur ſignis. Dolor circa coſtas mendoſas, præcordia, et ſub diaphragmate urget; Adſunt nauſea, vel vomitio; abdominis murmur, et inflatio; cephalalgia vertiginoſa; ſitis; et amarus linguæ ſapor. Præceſſerunt cauſæ, ſaburræ humorum in primis viis congerendæ, aptæ; quales ſunt comeſſationes, et compotationes immodicæ nocturnæ, diù continuatæ, aut ſaltem protractæ; vigiliæ nimiæ; ſolitæ evacuationes ſuppreſſæ; alvus conſtipata; uſitata exercitia omiſſa; ſtudia nimìs intenta; et alia permulta. Pulſus nec tenſus eſt, nec durus: Febris non multum acuta torquet: Somnolentus eſt æger, vel nimìs anxius, et parùm quietus: Morbus ab horrore aut rigore inſigni non orditur: calor nec valdè intenſus eſt; nec æger tuſſiendo expuit cruenta.

In tali caſu maturiùs accerſitus, antequam confirmatæ v. g. inflammationis ſigna ſe prodant; ſi æger juvenis ſit, aut temperamento ſanguineo præditus, & plethoræ manifeſta appareant indicia; ad vaſa nimìs turgida deplendum, et plethoram imminuendum, ſanguinis uncias decem è brachio illicò mitti jubeo; non tam inflammationis præcavendæ cauſâ, quàm ad faciliorem ſanguinis circuitum promovendum,

dum, et vaſorum plethoricorum, ab emetici mox hauriendi operatione, rupturam averruncandum. Eodem veſperi, vel poſt aliquot à miſſione ſanguinis elapſas horas; emeticum è rad. Ipecacoan. mihi præ cæteris, in praxi familiare propino; hujuſque feliciores effectus, largioribus infuſionis flor. chamæmel. hauſtibus, ſæpiùs repetendis, promoveri curo. His præmiſſis, ſi alvum emetici virtute non dejiciat æger; clyſterem emollientem et laxantem injiciendum volo; quibus demùm abſolutis, hauſtum paregoricum pro re natâ et circumſtantiarum varietate quandoque præſcribo, ægro in lecto ſe ad ſomnum compoſituro, exhibendum.

Die inſequenti, enema poſt meridiem repeto; idemque ad biduum adhùc, aut triduum futurum, ſemel aut bis in die, pro majori vel minori cachochiliæ in primis viis abundantiâ, injiciendum præcipio. Diætam tenuiſſimam, ac parciſſimam, præfato durante tempore inſtituo; pectoralibus interìm accommodatis, et diluentibus appropriatis ægro ſufficientèr miniſtratis. Tandem verò, leniori cathartico bis, aut ter, poſt debita intervalla repetito, materiæ morbificæ fomes, et reliquiæ, per alvum deturbari debent.

Toto

Toto curationis tempore, fomentationes emollientes abdomini manè et ſerò calidiuſculè applicantur; ad ſolidorum in ventre inferiori criſpaturam obſtruentem relaxandum; vaſorum et minimorum tubulorum contractam capacitatem amplianandum; viſcidam et tenacem primarum viarum cachochiliam magis fluidam faciendum; ejuſque per emetica, enemata, aut leniora cathartica faciliorem per vias opportunas excretionem promovendum.

Obitèr tamen dicam, me (præmiſſis priùs in caſibus memoratis venæſectione, emetico, et enemate bis tervè repetito) ægrum mane inſequenti inviſentem, placidum eum ac quietum, à dolore lateris punctorio, tuſſi permoleſtâ, dyſpnæâ, febre, et aliis quibuſcunque ſymptomatis pleuriticis prorſùs liberatum plùs ſemel obſervaviſſe. *Juxta illud Hipp. lib. de vict. ratione in acut.* ubi hæc habet. *Si verò ſub ſepto tranſverſo fuerit dolor, ad claviculam autem, de ſe ſignificationem non præbeat: Alvum mollire oportet.*

Et alibi in eodem libro de pleuriticis, et peripneumonicis affectionibus, differens *medicorum Princeps*, hæc habet. ' Si quidem dolor ſursùm tendat ad clavi- ' culam, aut circa mammam, et brachium,

'venam in brachio ſecare oportet inter-
'nam: detrahere verò ſanguinem, juxta
'corporis habitum, et tempus, et ætatem,
'et colorem, plùs et confidentèr; et ſi
'acutus fuerit dolor, ducere uſque ad
'animi deliquium: poſteà infuſum per
'clyſterem adhibere. Si verò ſub thorace
'fuerit dolor, et valdè diſtendat; pleuri-
'tico medicamento alvum ſubpurgato.
'Et interim dum purgatur nihil dato.
'Poſt purgationem verò, acetum mulſum.
'Medicamentum autem purgans exhibeto
'quartâ die. Verum per tres ab initio,
'infuſum per clyſterem adhibeto: et ſi
'hinc non allevetur, ſic ſubpurgato.

Plura qui hâc de re volet, conſulat *Duretum*, *Martianum*, *et Ballonium.*

Quod ad me attinet, pro certò affirmare poſſum, me methodo antedictâ repetitis ſcilicet enematis, et catharſi poſt tres elapſos à primâ morbi invaſione dies inſtitutâ, quandoque et emetico ſolo tempeſtivè exhibito, (præmiſſâ priùs pro re natâ unicâ venæſectione) incipientem pleuritidem à primarum viarum cachochiliâ ortam, aut citò et felicitèr debellaſſe, aut, morboſo fomite per vomitum et ſeceſſum in primâ morbi invaſione opportunè eliminato, eandem in cunis haùd ſemel felici admodum ſucceſſu, unico quaſi ictu ſubjugaſſe.

ſubjugaſſe. Et ut hiſtoriis innumeris quæ penes me ſunt ſigillatim depingendis, quibus medendi methodo in ſuperioribus pagellis à nobis ſtabilitæ fidem afferre poſſim, brevitati conſulens, pro meo more ſuperſedeam; tres tantum ad præfatorum veritatem confirmandum, haud ineptas forſàn obſervationes brevitèr et ſpeciatìm perſtringam.

Obſervatio Prima.

Vir nobilis amicus mihi plurimùm honorandus, quadrageſſimo ſexto ætatis ſuæ Anno, et à nativitate Domini 1725°. Exeunte menſe aprili, in pleuritidem inflammatoriam vehementem, à ſalium acrimoniâ et frigore ſuſcepto ortam incidit.

Habitu corporis macilento et ſcorbutico præditus, à pluribus retrò annis, ob continuatum rerum non naturalium abuſum, et hinc auctam ſcorbuticam acrimoniam, catharrali ſeri acris ſalini in pulmones defluvio, doloribus rheumaticis vagis, odontalgiæ, et nephriticis paroxyſmis ſubindè recurrentibus obnoxius vixit.

Die morbi ſecundo, ſummo mane ad opem ferendum accerſitus; cum ex pulſus frequentiâ, et duritie; dolore lateris punctorio acutiſſimo, ad collum et clavi-

culam extendente; reſpiratione citâ, et laborioſâ; ſputo tenui, pauco, crudo, et cruento; tuſſi permoleſtâ; anacatharſi difficili, ac doloroſâ; et febre acutâ ab horrore et rigore in primo inſultu ordiente; virum ſtirpis nobilitate non minùs quàm ingenii acumine inſignem pleuritide verè inflammatoriâ laborare, evidentiſſimè conſtaret; ſanguinis uncias decem è brachio ſtatìm detrahendas, et ad aſtrictam alvum ſolvendum, enema emolliens horâ primâ pomeridianâ injiciendum curavi. Ut ſanguis interìm diluatur, ac ſalium acrimonia temperetur; emulſiones amigdalinas, aquam hordei, et ptiſanam pectoralem ex hordeo, paſſulis, glycyrrhizâ, rad. gramin. et acetos. fol. tuſſilag. et capillor. vener. cum aq. ſ. q. compoſit. et calèfact. uberiori copiâ in potum ordinarium, modicâ tamen pro ſingulis ſed frequentiſſimè repètitis hauſtibus, quantitate miniſtravi.

Linctum pectoralem cum ol. lin. recèns extract. ſuprà memoratum, ſæpiùs lambendo capiendum, et cochleatìm etiam omni ſaltem trihorio vorandum exhibui; ſuperbibendo decocti pectoralis calefacti hauſtum. Horâ nonâ veſpertinâ phlebotomia iterùm celebrata eſt, pedes et crura in aquam tepidam immerguntur, linimento pectorali et emolliente latus affec-

tum

tum illinitur, et hauſtus pectoralis ex aq. papaver. errat. ſal. prunel. et ſimilibus propinatur.

Die morbi tertio, ſanguis horâ ſexta matutinâ ad eandem quantitatem tertiâ vice miſſus eſt, qui pelliculâ albâ denſiori totus obducebatur. Linimentum emolliens repetitur, quo calefacto latus affectum dolore punctorio acutiſſimo excruciatum, quartâ quâque horâ (præmiſſo fotu emolliente) illinendum præcipitur. Doſis interim una pulver. diuret. alkalin. ſextâ quâque horâ è cochl. uno linct. pectoral. miniſtrata fuit; ſuperbibendo hauſtum decoct. pectoral. calefact.

Repetuntur hauſtus pectoralis, cum ſal. prunel. et enema emolliens, ut pridiè. Horâ ſecundâ pomeridianâ, quia lateris dolor adhùc ſæviebat, et reſpiratio inſupèr difficilior facta eſt, cum ſputo tenui, difficili, et ſubcruento, imminentis delirii ſignis, et pulſu aliquantò molliori, ac magìs undoſo; quæ omnia futuram, ſi non jàm inchoatam pulmonum inflammationem metuendam eſſe præmonuerunt, ſanguinis modica quantitas è ſaphænâ illicò detrahitur, et epiſpaſtica duo ad ſputum quod hùc uſque penitùs ferè ſuppreſſum fuit, excreando faciliùs educendum, tibiis internis applicantur.

Advocatis

Advocatis autem hoc veſperi ad conſultandum pluribus aliis medicis, phlebotomia è brachio horâ nonâ veſpertinâ, communi omnium concurrente conſilio iterum repetita eſt. Emulſio amigdalina, linctus pectoralis, linimentum, pulvis diureticus, decoctum pectorale, et ptiſana pectoralis debito ordine repetuntur ut ſuprà. Enema emolliens et laxans horâ undecimâ veſpertinâ injicitur, et balneatio pedum et crurum in aquâ calidiuſculâ repetitur. Noctem hanc haùd valdè inquietam tranſegit. Reſpiratio tamen difficilis, dolor lateris lancinans, et excreandi ſputi impotentia die morbi quarto perſeverabant. Quare ſanguis mediocri quantitate mane et ſero è brachio detractus eſt, enema emolliens veſperi injectum fuit, et alia omnia ut in præcedentibus, pro re natâ miniſtrata ſunt.

Die morbi quinto, ſemel tantum ſanguinis miſſio, hæcque è ſaphænâ communi conſenſu inſtituta eſt. Sexto die, reſpiratio facilior, et febris minùs vehemens apparuerunt; lateris tamen dolor licet ſolitò mitior adhùc quadantenùs moleſtus fuit; ſputum nec facilè nec copioſè excreatum eſt; nec ullum omninò delirium adfuit; inſolita tamen et moleſta virium proſtratio, reſpiratio minùs facilis, et anacatiharſis

nacatharſis laborioſa, ægrum continuò torquebant.

Iſto die, me quamvis ob proſtratas ultrà modum ægri vires palàm diſſentiente, medici tamen cujuſdam ſenioris authoritate prævalente, venæſectio iterùm repetita eſt. Illa nocte ob majorem forsàn ſanguinis jacturam, quàm opportunè ferre poterat nimìs jàm elanguida ſpirituum confectorum craſis, aut ſalium acrium ſcorbuticorum in ſanguine redundantium prædominium, circa mediam noctem ineunte die morbi ſeptimo, ſideratis ab acrimoniâ ſalinâ mirum in modum ſpiritibus, ſupervenerunt ſtatìm reſpiratio cita, difficilis, et laborioſa, delirium comatoſum, motus convulſivi frequentiores, ſubſultus tendinum diriſſimi, pulſus tremulus, et vacillans, vix perceptibilis, excreandi ſputi omnimoda impotentia, ſibilus et ſtrepitus in pectore multus, aliaque exitii et mortis inſtantaneæ indicia ſatis manifeſta. In hoc autem deplorato, ut adſtantibus omnibus viſum eſt, ægrotantis animam ſubitò efflaturi ſtatu, à ſeniori primùm, dein à duobus aliis magni nominis medicis ad conſultandum paritèr invitatis, æger tanquam omninò inſanabilis derelictus eſt.

Ego

Ego verò, cui ægroti cura præ cæteris potiſſimùm commiſſa fuit, amici mei dilecti fatum tantum non certum et præſentaneum vehementèr lugens, et anceps in hoc præcipiti caſu experiri remedium ſatiùs eſſe ratus, quàm nullum, ſpirituum volatilium ampliatam doſin in julapio cordiali temperato inſtillatam, cochleatìm et iteratis ſæpiùs vicibus propino; veſicatoria acria ad nucham, femora, brachia interna, et carpos ſuprà pulſus applicari jubeo; admotis ad pedum plantas ſuppedan. acrib. cum dupl. euphorb. ſerum lactis canarinum calefactum in potum ordinarium inſtituo, inſtillando cuilibet hauſtui ſpiritus volat. C.C. aut ſal. vol. oleos. gutt. aliquot; et ſpirit. vol. ſal. armoniac. ad comatoſum affectum amoliendum, et enecatos ſpiritus reſuſcitandum, naribus ſæpiùs admovetur.

Quid fit! poſt horas circitèr octo elapſas ita remittuntur gradatìm anomala jàm recenſita ſymptomata, ut die morbi octavo à delirio comatoſo penitùs liberaretur æger; pulſus qui anteà tremulus fuit, et vacillans, nunc fortiùs multò et conſtantiùs vibraretur; reſpiratio minùs cita ſit aut laborioſa; motus convulſivi, ſtrepitus in pectore, et excreandi ſputi difficultas quadantenùs alleventur; quamvìs

in

in minùs tamen intenſo gradu adhùc ſubſiſtant.

Nocte verò inſequenti, horâ circitèr undecimâ veſpertinâ, paroxyſmum nephriticum adeò horrendum paſſus eſt, ut conſtanti præ doloris vehementiâ ejulatu, adſtantes omnes perterrefaciat. In hoc præcipiti periculo (quia à dolore horrendo, cui quidem ferendo infirmatæ jam ægri vires ad trihorium futurum non ſufficerent, certa et inevitabilis mors ſubitò expectanda foret;) injecto priùs (ſed ſine fructu) enemate emolliente, et illinitâ (præmiſſo priùs fotu) linimento emolliente, lumborum regione; hauſtus paregor. è ſyrup de mecon. in aq. diuret. ſolut. adjectis volatilibus, compoſitus, illicò miniſtratur; cujus virtute, æger ſubitaneum à præfatâ querelâ levamen expertus, ſomno profundo ad quatuor aut circitèr horas protracto refocillatus eſt.

Mane verò inſequenti, non levem ſymptomatum omnium diriſſimorum ſuprà memoratorum revireſcentiam, ab enervatis ab acutiſſimo iſto nephritico dolore ſpiritibus, ortam paſſus eſt; à quâ quidem ſymptomatum recidivatione, methodo ſupradictâ poſt breve aliquod tempus quodammodò relevatus fuit.

His verò omnibus non obſtantibus, ad trigeſſimum quintum aut circiter uſquè morbi diem, in extremo agone et aperto mortis periculo continuò duravit; et quamvis medicamentis pectoralibus, et potentèr expectorantibus omnigenis continuò tentaretur; nullâ tamen ante trigeſſimum diem arte, aut methodo, materia in pulmonibus contenta per anacatharſin amandari potuit; ſed febre hecticâ continuò marceſcens, et horrendis viſcerum doloribus, unà cum vultu mæſto, occulis primò caliginoſis, deìn excavatis, dilapſis, occluſis, et in orbitas depreſſis, ſerum ſalinum acre continuò effundentibus, facie hippocraticâ, &c. excruciatus, ultimum diem cum ardore quodam ſingulari et ſincero, in miſeriarum finem et ſolatium milliès exoptavit; nec niſi medicamentis cordialibus efficaciſſimis, ſæpiùs et pro re nata miniſtratis, repetito volatilium uſu, diætâ reficiente accommodatâ, fotibus, enematibus, linimentis, et emplaſtris emollientibus, ac opiatis lenibus ſubindè hauſtis, (methodo ſempèr pro ſymptomatum variorum ſævitiâ, aut revireſcentiâ, ritè mutatâ) ſiderati ſpiritus, et vires ultrà modum exhauſtæ, ad præfatum temporis terminum, ægrè licet, ſuſtentari poterant; aut vita protrahi.

Die

Die morbi circitèr decimo quinto, doſin unam vel alteram tincturæ corticis peruviani, vino ob virium proſtrationem ſingularem paratæ, ad febrem hecticam amoliendum miniſtravi; ſed ſine optato ſucceſſu; cum ab hujus remedii exhibitione ſymptomata pleraque quodammodò ingraveſcere obſervarem; quare ab illius medicamenti ampliori uſu pro hâc vice, religiosè manum temperavi.

Cum verò circà vigeſſimum quintum morbi diem, febris hectica cum ſuprà memoratis diris omnibus ſymptomatibus ultrà modum eveheretur; nec ulla excreandi ſputi ſpes, febre in tali vigore ſubſiſtente, affulgeret; apozematis è cortice peruviano electiſſimo cum herbis pectoralibus et balſamicis ſociato, repetitis in aquâ fontanâ decoctionibus parati, uncias ii. tertiâ vel quartâ quâque horâ, ad triduum aut quatriduum propinavi. A cujus medicamenti uſu, cum æger eximium levamen percepiſſet; et febris hectica inducias dediſſet; tandem autem ſtomachus tincturam faſtidiviſſet; corticem polychreſtum ad aliquot abhinc dies in ſubſtantiâ, additis balſamicis, pillularum aut electuarii formâ, ſtatis horis vorandum exhibui; ſuperbibendo julapii cordialis perlati cochlear. ii. vel. iii.

Hinc die circitèr morbi trigeſſimo, magna purulentæ materiæ ex abſceſſu diſrupto copia, per anacatharſin facilè et cum euphoriâ educitur ; Quæ quidem purulenta excreatio ad plures dies continuata, ægrum tandem ab omni prorſùs lateris, aut pectoris dolore, reſpirationis difficultate, tuſſi, anxietate, appetitus, aut virium proſtratione, internis viſcerum cruciatibus, febris hecticæ reliquiis, et alio omni quocunque moleſto ſymptomate liberavit. Undè poſt continuatam per ſex inſequentes hebdomadas diætam lacteam, et lactis aſinini uſum, (miniſtrato interim per id temporis ſpatium peruviano cortice bis in die, mane ſcilicet et veſperi, nunc apozematis, nunc pillularum, aut boli formâ, et interjectâ poſt reſarcitas quodammodò ægri vires, bis aut ter leni aliquâ purgatione, opportunâ methodo inſtitutâ, lenibus opiatis pro rè natâ repetitis, et equitatione in aere aprico, ſalubri, ruſticano, modicâ, quotidianâ, continuatâ,) æger, plaudentibus amicis, ex deplorato hoc ſtatu, et truculentiſſimo morbo, præter multorum expectationem perfectè convaluit. Nec ullum ipſi deinceps ſupervenit moleſtum aliquod ſymptoma, niſi quod à continuato diætæ lacteæ uſu tumor pedum aliqualis ortus, noctù invadens interdiù autem evaneſcens, imminentis hydropis metum aliquem incuſſerit. Hæc verò animi

inquie-

inquietudo à diætâ carneâ ſuccedente, (ſeclusâ tandem lacteâ) et modico vini potu ad corroborandum ſanguinem inſtitutis, evaneſcente penitùs et perfectè amoto hinc pedum tumore, citò et jucundè ſublata eſt.

Obſervatio Secunda.

Nobiliſſimus Baro, regi è conſiliis arcanis, amicus mihi magno honore colendus, die auguſti decimo, an. 1729. cum à præpoſtero rerum non naturalium uſu, et ſpeciatìm à commeſſationibus et compotationibus nocturnis per aliquot ſucceſſivè dies, ut ſe quorundam nobilium ſodalium genio accommmodaret, ad multam noctem protractis, et vigiliis immodicis hinc procedentibus ultrà modum delaſſaretur; horâ tantum primâ matutinâ ab œnopolio domum reverſus, cubitum ivit. a ſævißimo autem et lancinante lateris dolore, ad coſtas nothas et hypochondrium dextrum extendente, tuſſi permoleſtâ cruciante, reſpiratione minùs liberâ, nauſeâ, et crebro vomendi deſiderio, horâ quintâ expergefactus eſt. His acceſſerunt prætereà pulſus celer et mollis, calor intenſus, ſitis, oris amaritudo, anxietas, inquietudo magna, cephalalgia, abdomen, et hypochondria turgida, et elevata.

Advocatus ego ad opem ferendum, eodem mane horâ ſeptimâ, circumſtantiis omnibus ritè priùs perpenſis; morbum non pleuritidem eſſe verè inflammatoriam, ut ipſe nobilis æger vehementèr ſuſpicatus eſt, ſed à primarum viarum cachochiliâ ortam pronunciavi. Ad plethoram igitur, cujus luculenta ſeſe manifeſtabant in vaſis ſanguiferis indicia, primò imminuendum, et hinc vaſorum pulmonalium à futurâ emetici operatione rupturam præcavendum, ſanguinis è brachio uncias decem illicò detrahi jubeo; et horâ una poſt phlebotomiam celebratam elapſâ, enema emolliens et laxans injiciendum curo; cujus virtute, et efficaciâ, tèr vel quatèr repetitis et diſtinctis vicibus, inſignem ſatis excrementorum copiam per alvum dejecit; ſed ſine multo levamine. Dolor enim lateris punctorius, nauſea, ægritudo univerſalis, et jactatio inquieta, continuò et ſine remiſſione infeſtabant.

Ægro nihilominùs, qui à pluribus jàm retrò annis, meis in re medicâ monitis pro re natâ, magnâ cum fiduciâ lubens auſcultavit, animum addidi quâm potui conſtantem, et placidum; à primo adventu firmiter pronuncians, emeticum horâ ſextâ veſpertinâ hauriendum, morbum citò, tutò, et jucundè debellaturum. Venæſectionem

tionem quoque, aliam non ob rationem à me fuiſſe inſtitutam affirmavi, quàm ut tutiori & feliciori medicamenti emetici operationi via pararetur aptiſſima. Intereà tamen ulteriorem venæſectionis repetitionem, quam ob lateris dolorem pertinacitèr perſeverantem, enixiſſimè efflagitaverunt conſanguinei plures adſtantes prænobiles, ſicut & ipſe etiam ægrotus, quia morbum pleuritidem eſſe verè inflammatoriam temerè judicabant, pleno ore abnuebam; omnibus fidem faciens, cauſam morbi in ventriculo & primis viis adhùc latitare, & phlebotomiæ conſequentèr repetitionem, quam emetico ſubſtituere deſiderabant, pleuritidem confirmatam & verè inflammatoriam intra viginti quatuor horas, per materiæ morbificæ in pleuram tranſlationem, certo certiùs invocaturam; niſi ſtatìm morbi materia in ventriculo nauſeam movens, omiſſâ venæſectione, emetici virtute eliminaretur. Quo autem facto; ut citò evaneſcant lateris dolor, & ſymptomata alia omnia moleſta, futurum pollicebar.

Annuentibus tandem omnibus; ægro non ſine horrendo quidem præ doloris vehementiâ ejulatu, è lecto exempto, hauſtum emeticum è rad. Ipecacoan. propinavi; & operationem emetici largioribus infuſion. flor. chamæmel. in aquâ fontanâ

paratæ

paratæ hauſtibus, feliciorem eoùſque promoveri ſedulò ſatagebam, donec ſexiès ad minimùm, aut ſeptiès, magnam pituitæ viſcidæ, & bilis copiam per vomitum rejeciſſet; & ſemel inſupèr aut bìs alvum dejeciſſet; quo abſoluto, à dolore lateris punctorio illicò ferè quaſi carmine magico liberabatur. Leni itaque paregorico dein hauſto; ut ſe ſtatìm lecto addicat, & ad ſomnum componat, ſuaſi.

Paruit nobilis æger, & reliquam noctem abſque dolore vel moleſtiâ tranſegit, placido ſomno refocillatus. Mane proximo eum inviſens, veſtibus aſſuetis indutum, & per urbem in rhedâ circumvehi paratum conſpicio. Pulſu verò explorato; à febre quâcunque, anxietate, dolore, dyſpnæâ, tuſſi, aut alio quovis morboſo ſymptomate penitùs immunem video. Die tantum inſequenti, lene catharticum mane vorandum præſcripſi, poſt triduum iterùm repetendum; & ad ſtomachum corroborandum, vini amari ſtomachici uncias quatuor, manè & veſperi horis medicinalibus, ad aliquot futuros dies purgatione vacantes, hauriendas commendavi. His paucis remediis tractatus convaluit vir nobilis, patronus mihi plurimùm honorandus, & firmâ adhùc valetudine fruens, ſuperſtes manet.

Obſer-

Obſervatio Tertia.

Matrona quædam juvenis ſexdecem annos nata, vigeſſimo circitèr quarto octobris die, An. 1733, ſeptimo verò gravidationis menſe, in caſu truculentiſſimo ſequenti opem meam imploravit. Diarrhæâ vehementiſſimâ ineunte octobri, primò corripiebatur; quâ tandem poſt quindecem dies, methodo à medico ordinario inſtitutâ, ritè debellatâ; in pleuritidem verè inflammatoriam, cum pulmonum inflammatione ſociatam ſubitò incidit. Ad hanc amoliendum, venæſectionibus repetitis, linctibus pectoralibus, linimentis, fotibus, apozematibus, et emulſionibus ab eodem medico peritè præſcriptis, ſedulò tractabatur. Incaſſùm tamen hæc omnia. Febris enim peracuta, dolor lateris punctorius, permoleſtus, tuſſis crucians et ſicca, reſpiratio difficilis et laborioſa, pulſus celer, durus, et intermittens, ſputa pauca, tenuia, et ſubcruenta, virium languor horrendus, appetitus proſtratus, aliaque funeſta ſymptomata de die in diem increbuerunt.

Ego verò ſexto tantùm, præſentis hujus morbi die acccerſitus, miſerrimam ægram cum pulſu minimo, celeri, intermittente, et vacillante; reſpiratione laborioſâ,. citâ, et difficili; lancinante lateris dolore, ad

mammam et claviculam extendente; ſputi in pectore ſtrepitu et ſibillo enormi; anacatharſeos difficultate et impotentiâ inſuperabili; ſudoribus, et extremis frigidis; memoriâ vacillante; delirio inchoato; ſpiritibus enervatis, et oppreſſis ſociatam; à diriſſimo morbo penè confectam, et ſuffocatam; ac in ultimo quaſi mortis agone conſtitutam conſpexi.

In his rerum anguſtiis, et aperto nimìs citæ mortis periculo, conſilio brevi cum collegâ priùs inito; et aleæ periculoſæ debito etiam prognoſtico præmiſſo; unicam recuperandæ ſalutis ſpem, quamvis et hæc ipſa tenuiſſima tamen foret, in partu accelerando ſitam eſſe pronunciavi; quo facto, quia fœtus adhùc vegetus in utero apparuit, non tantùm matri, ſed etiam infanti ipſi, vita fortè-fortunà conſervaretur; cum aliàs, utriſque certa, cita, et inevitabilis mors, præ foribus expectanda maneret.

Huic opinioni palàm annuente collegâ clariſſimo, epiſpaſticum amplum et acre ad nucham ſtatìm applicatum fuit; ut maſſæ humorum jàm quaſi ſtagnanti, et vapidæ, non tantùm novus communicetur circularis motus; ſed ut inſupèr ſalutaris et ſummè neceſſaria, à cerebro, et pulmonibus, inſequatur humorum derivatio.

Ab applicato hoc veſicatorio; enemate dein acri ſtimulante injecto; et ſæpiùs repetitis ſpirituum volatilium partum provocantium, in julapio cordiali accomodato inſtillatorum, doſibus; ægra acutiſſimis parturientium doloribus ſubitò tentata, intra viginti quatuor horarum ſpatium, infantem vivum, fortem, et vegetum in lucem edidit; plaudentibus citrà modum marito, parentibus, et amicis omnibus; qui non tantum puerulum editum, ſed matrem inſuper ab or-orci faucibus, ultrà ſpem ferè omnem humanam, feliciſſimo eventu ereptam inopinatò conſpexerunt. Hinc ægra, à ſymptomatis omnibus pleuriticis, et peripneumonicis ſuprà memoratis, facili negotio poſt paucos dies liberata, ad priſtinam ſanitatem ſubitò et felicitèr reſtituta eſt; quâ quidem, ad hunc uſque diem ſuperſtes manens, ſana, et vegeta; rei famili-liaris et domeſticæ muniis probè fungens; integrâ et perfectâ fruitur.

Sectio Secunda.

Caput Primum.

Conſtitutio Epidemica Annor. 1727, 28, 29, 30, 31, 32.

ANNO 1727. variolæ confluentes epidemicè graſſabantur; et ad regulares plerumque accedebant. Inſequentibus annis, præcipuè verò 29. et 31. populatìm ſæviebant variolæ mali moris epidemicæ; ad confluentium, aut cohærentium, naturam ut plurimum appropinquantes.

Anno 1728. caput extulit febris quædam continua; quæ annis ſubſequentibus latiùs gradatìm ſparſa, ad ſummum extenſionis apicem, menſe januario an. 1731, aſcendebat; à quo demùm tempore ſenſìm declinans, anno proximè ſuccedente penitùs ferè diſparuit; aut ſaltem pauciores tantummodò invaſit.

Dyſenteria, et diarrhæa, per prædictos annos epidemicè comparuerunt; et nullo non anni tempore, præſertìm verò hyeme, et autumno impetentes, universìm infeſtabant. Febres quoque intermittentes memoratis jàm annis interrcurrebant; ut et alii morbi inflammatorii, ferè omnigeni.

Quæ

Quæ de febre illâ continuâ, variolis mali moris, diarrhæâ, et dyſenteriâ, mihi obſervare licuit, in quantum ſaltem, ab his, quos in ſuperioribus pagellis delineavi, diſcrepabant hi morbi, paucis ſubnectam; initium faciens à febre epidemicâ continuâ.

Caput Secundum.

De febre epidemicâ continuâ annor. 1728, 29, 30, 31, &c.

Febris hæc epidemica continua his ſpeciatìm phœnomenis differre videbatur, à febre illâ conſtitutionis præcedentis jàm ante deſcriptâ. Æger imminuto priùs et ſensìm per aliquot antecedentes dies appetitu; quodam inſolitæ gravedinis ſenſu, et horripilationibus quibuſdam vagis, ad ſecundum, tertium, vel quartum diem, aut nonunquàm diutiùs, incerto ordine et indeterminatâ periodo recurrentibus, corripitur. His horripilationibus calor quidam, et levis ſudatiuncula ſuccedunt. Accedit in anteriori capitis parte, et ad frontem, dolor moleſtus, et gravativus, qui procedente morbo in ſtupore comotoſo, aut delirio, in aliquibus; non autem in omnibus terminatur.

Pulſus celer, parvus, et vacillans, in pluribus morbum comitatur; in aliis celer, et fortior admodum, in morbi præ-

cipuè

cipuè incremento; in aliis tamen ſanorum pulſui non abſimilis; in pleriſque autem inconſtans, et mutabilis apparet. Dolor muſculoſus acutus, lumbaginem, aut rheumatiſmum referens; tuſſis catharralis; gutturis dolor; narium hæmorrhagia progrediente præcipuè morbo; et ſudores in principio febris ſymptomatici, haud raròconſpiciuntur.

Augmentum morbi frequentiùs ad decimum quartum; nonunquam ſed rariùs, ad vigeſſimum primum uſquè diem protrahitur. Breviùs autèm aliquandò durat; et circà morbi ſtatum, febris cum periodicis exacerbationibus, nunc quotidiè, nunc alternis, aut tertiis diebus, ſtato ferè ordine recurrentibus, remittere ſæpè obſervatur.

Illa febris remiſſio à primo quo invadebat anno, ad annum uſque 1731. frequentiſſimè comparuit. Hoc autem poſtremo anno, quo præciſè ad ſummum vigorem et extenſionem evecta eſt, rariùs remiſit; ſed ab incremento abſoluto, ad declinationem uſquè ſenſibilem, uno quaſi tenore plerumque progreſſa eſt.

Præter memorata jàm ſymptomata, nauſea, et virium proſtratio ſubitanea, morbi initium; jactatio inquieta, delirium, ſitis intenſa,

tenſa, præcordiorum dolor, lingua arida et ſubfuſca, urina tenuis et cruda, hujus incrementum comitabantur; et hyeme etiam præ aliis anni temporibus maximè ſæviebat morbus.

Ad hanc febrem debellandum, methodum ſubſequentem uſurpavi. Si à frigore percepto, quod ſæpiſſimè evenit; morbus invadendi anſam arripuiſſet; æger juvenis, aut plethoricus fuiſſet; et tuſſi catharrali, cum nauſeâ, aut vomituritione laboraviſſet; ſanguinis ſtatim uncias octo vel decem, ſi id ante quartum morbi diem penes me fuiſſet, è brachio detrahendas juſſi; et poſtero die lene emeticum mihi familiare exhibendum præcepi.

Si autem infans, puer, ſenex, hypochondriaco, vel hyſterico morbo addictus, ſtudio immodico et vitæ ſedentariæ deditus, aut alio quovis modo enervatus fuiſſet æger; omittuntur penitùs phlebotomia et emeticum, horumque loco, pediluvia in aquâ calidâ repetita, fotus emollientes, vapores aquæ dulcis calidæ, in os, nares, et pulmones recepti, ad ſitim tollendum, et partes ſolidas, gulæ præſertìm et gutturis interna relaxandum, ſubſtitui debent; fomentationes paritèr, et balneationes emollientes, præcordiis et toti abdomini applicatæ, haud parum

rum profeciſſe notabantur ; imminente præſertìm comatoſo vel phrenetico delirio, aut gutturis dolore inflammatorio ; cephalalgiâ etiam immani, capitis gravitate, tuſſi moleſtâ, aut reſpiratione difficili ſævientibus ; in his præcipuè caſibus, in quibus ſanguinem detrahere dubitandum ſit ; aut quando apparatus humorum cachochymicus è primis viis, repetitis clyſteribus emollientibus educendus eſſet.

Hanc porrò febrem, (exceptis tamen caſibus ſuprà memoratis, delirio etiam vehementi, aut ſymptomate aliquo inflammatorio inſigni, à regimine præfervido perperàm prægreſſo ſupervenientibus ;) ſanguinis miſſionem minùs aptè tuliſſe obſervavi, quàm ferre ſolita eſt febris illa nuperrimæ conſtitutionis ſupra memorata. Quare hyſtericis, hypochondriacis, pulſu languido donatis, vel quovis alio modo attritis, ſi nauſea præcedat ; ventriculus hauſtibus aliquot infuſionis florum chamæmeli, commodè ſatìs abluebatur ; nullâ omninò ſanguinis miſſione præmiſſa.

Liquores ſubacidos ſupradictos tepidè, et repetitis vicibus, ad ſanguinem diluendum et contemperandum, hauriendos præcepi. Diætam in priori febre inſtitutam commendavi. Uſum ſal. prunel. aut nitr. purificat. in potu ordinario ſolut. ſtatis horis approbavi.

bavi. Enemata emollientia, dum alvus aſtricta fuiſſet; ſæpiùs, ſingulis ſcilicet vel alternis diebus, ſi ſymptomata præcipuè delirioſa, comatoſa, aut alia quævis cephalica nimìs ſæviant; vel ſi morbus à commeſſationibus, aut compotationibus immodicis ortum habeat; injicienda ſedulò curavi.

Veſicatoria ampla et acria ad nucham, brachia interna, carpos ſuprà pulſus, tibias, aut femora, à principio ad finem, (exceptis tamen morbi ſtatu, et declinatione, in quibus, non niſi ſymptomatis ultra modum urgentibus et anomalis ſupervenientibus, præſcribi debeant;) ſucceſſivè, et pro re natâ, applicanda ſuaſi.

Cordialia ineunte, et increſcente morbo, temperata; in ſtatu vero, et declinatione morbi, ut in præcedentis conſtitutionis febre, generoſiora miniſtravi. Inter hæc, non infimum locum tenuit ſerum lactis canarinum, cujus opportunus in febribus omnibus epidemicis uſus, utiliſſimus obſervatur. Præter julapia cordialia ſuprà memorata, et pulveres cordiales prædictos; tincturæ virginianæ, ſpirit. vol. C.C vel ſal. volat. oleos. repetitas doſes, pro virium imbecillitate, aut ſpirituum languore, in morbi præcipuè ſtatu circà criſin, et in ipſius quoque declinatione, efficaces expertus ſum.

Ad revellendos à cerebro humores, imminentibus delirii ſignis ; non tantum balneationes, pediluvia, et epiſpaſtica ; ſed et ſuppedanea acria, cataplaſmata emollientia, et pullos columbinos recèns mactatos, et per ſpinam (amputatis priùs capite, alis, et cruribus) ſciſſos totis pedibus, et ad horum plantas applicari ſuadeo.

In toto deniquè curationis negotio, hic præcipuè ſcopus, ut ſuprà obſervatum eſt, præ cæteris proponitur ; ut ſanguinis ſcilicet circuitus debito tenore ſuſtentetur, et pergat ; ita ut, nec remediorum excalefacientium exhibitione plùs juſtò excandeſcat ; nec evacuationibus perperàm repetitis, aut immodico refrigerantium uſu, ſolennis naturæ machina ultrà modum torpeſcat. Quia utraque extrema naturam æqualitèr laceſſunt, ejuſque, ad debitum opus ritè perficiendum, conatus ex æquo interpellant.

Hinc rectè quidem *Clariſſimus Mortonus, in tractatu de febribus* ; *exercitatione ſecunda* : certam febrifugam methodum, huic, aut illi extremo, innitentem inſtituere, ſivè hanc, ſivè illam ; nihil aliud eſſe, quàm planè delirare Indicavit. cum methodus febrifuga rationalis univerſa duobus articulis comprehendatur ; ut impere-

tur

tur nimirùm regimen juſtum, et ut natura variis modis refocilletur; prout opus fuerit. Natura quippè medici partes hic ſuſtinet: medicus ipſe duntaxat ancillatur.

Sub morbi finem, ut in priori febre, alvus opportunis catharticis, primùm lenioribus, deìn fortioribus, poſt debita interjecta intervalla repetendis, ſubmovenda eſt; et æger gradatìm ad diætam uſitatam, et aprici aeris fruitionem relegandus eſt.

Quandò autem febris hæc remittere conſuevit; apozematis è cort. peruvian. electiſſim. et rad. tormentill. repetitis in aquâ fontanâ decoctionibus parati uncias duas, tertiâ vel quartâ quâque extrà paroxyſmum horâ, cum felici ſucceſſu propinare ſolebam. Aut ſi forma liquida ægro minùs arrideat; præfati corticis ſcrupulum unum in formâ boli, cum q. ſ. ſyrup. caryophil. quartâ quâque horâ vorandum præſcripſi; ſuperbibendo julap. cordial. temperat. cochl. ii. vel iii. In nimio ſpirituum languore, vel ſi ſymptomata nervoſa nimis ſæviant, prædictæ tincturæ omni doſi, ut et cuilibet è cortice bolo, ſpirit. vol. C.C. gutt. circitèr xx. aut tinctur. virginian. ſemidrach. plùs minùs, pro ſymptomatum vehementiâ & ætatis ratione, commodè adjiciuntur.

Et certè non dubitarem corticem peruvianum in pleriſque febribus continuis, nullâ ſaltem peculiari inflammatione inſignitis, modò tamen remiſſiones, et exacerbationes periodicas agnoſcant; cum fructu maximo præſcribendum eſſe. Quod-etiam olìm obſervavit *Clariſſimus Mortonus in tractat. de feb. continent. cap.* 8. *et* 9. *et alibi.*

Verumtamen dolendum profectò eſt, ſtolida quorundam præjudicia, adverſus potentiſſima quæque ferè medicamenta, eò tandem ſine fundamento excreviſſe, ut hæc eadem non tantum futilia, ſed et noxia quidem aut nimìs perniciofa, neſcio quo infelici monſtroſæ cæcitatis fato crediderint; quaſi in peccatorum pœnas, divinâ forsàn hoc exigente juſtitiâ, propriæ ſanitatis diſpendio licitum eſſet hominibus ità immanitèr in hunc modum delirare.

Ad fatalem hunc errorem fovendum, et propagandum, non parùm confert ſciolorum et empiricorum quorundam improba aſtutia, qui in meſſem alienam, falcem audactèr immittentes; et artem medicinalem quam vix ſalutarunt, in hominum perniciem empirico tantum modo exercentes; contrà potentiſſima quæque remedia, (ſi ſaltem extrà vulgarem aut tritum

hæcce

hæcce medicamenta exhibendi morem, qui quidem ſciolorum iſtorum captui ſolus accommodatur, præſcribantur;) ab experientiſſimis quantumvis doctiſſimiſque medicis miniſtrata, datâ vel minimâ occaſione debacchantur: ut hinc iniquorum judicum partes, coràm ignaris agentes, ſub ſimulatæ probitatis prætextu, dolo malo turpem aliquam viam ſibi ſternant ad lucrum, et famam.

Ad hanc veritatem illuſtrandum, jam animo pauliſper concipiantur attento duo iſta; Laudanum nempè, et cortex peruvianus. Quanta autem ex præjudiciis contrà opiata quævis medicamenta malè fundatis, praxi medicæ acceſſerint impedimenta; quantæque exercitatiſſimis quibuſcunque medicis, in morbis tractandis hinc ſæpiùs crearentur anxietates, et moleſtiæ; omnibus in morborum curatione vel mediocritèr exercitatis abundè conſtat.

Quoties enim quæſo, fæmina credula nimìs vel timida à præpotentis medicamenti prædicti uſu avocata, aut ſibi, aut marito, aut denique liberis, acceleratæ mortis inſons fortaſſè fuerit occaſio? Dum mulierculæ cujuſdam ſtolidæ, aut perfrictæ frontis empirici monitis auſcultans, paregoricum ab experto medico præſcriptum, et urgenti ſymptomati debellando accomodatum

modatum, aut alii alicui legitimæ indicationi ritè ſatisfacturum, tanquam pernicioſum quid, aut ſaltem periculoſum, et inutile abjeciſſet. Quamvis, ſi miniſtratum alioquin juxta exercitati medici præcepta fuiſſet, ut fieri debuit, opiatum; æger à morbo aut ſymptomate in interritu terminante, citò, tutò, et facilè, forſan liberandus eſſet.

Quod de laudano jàm dictum eſt, hoc idem de cortice peruviano, mercurio, antimonio, chalybe, aliiſque magni nominis, et efficaciæ, remediis affirmare licet. Quid enim v. g. uſitatiùs eſt, quàm in corticem peruvianum, et medicos quoſcunque exercitatos, polychreſtum hoc pharmacum juxta coacervatæ experientiæ leges, et ſolida ſalutaris artis præcepta præſcribentes debacchari?

Cum enim vulgus ignarum et empirica gens in febribus tantum intermittentibus ſubigendis, corticis efficaciam experiantur; qui in aliis compluribus morbis, (in quibus tamen præſtantiſſimum hoc medicamentum non minùs legitimè indicatur,) eundem præſcribunt doctiſſimi licet, et expertiſſimi medici; vel ægrotantem cenſentur ab iniquis hiſce judicibus occidere; vel ſaltem in alios pertinaces et periculoſos morbos eundem conjicere.

Hinc

Hinc eſt, quod cortex peruvianus ad febrem putridam intermittentem, in tertio phthiſeos pulmonaris gradu ſupervenientem, debellandum exhibitus, (licet practicorum omnium conſenſu et coacervatâ obſervatione concurrentibus, in hoc caſu legitimè indicaretur) ſi ad ægrotantem tamen è truculentiſſimo et deſparato illo ſtatu, (quod nullâ arte fieri ſæpè poſſibile eſt) penitùs incolumem redimendum non ſufficiat; à ſceleratis et indoctis quibuſdam medicaſtris, et empiricis, mortis inferendæ injurioſo et infami ſtigmate inſons plectatur. Quod quàm impium ſit, et facinoroſum, ratio ſimul et experientia plùs ſatis evincunt. quamvis enim phlebotomia repetita omnes omninò pleuritide verè inflammatoriâ laborantes ab orci faucibus nequeat eripere; non ideò tamen venæſectio tanquam remedium minùs aptum, in præfato morbo prohibenda eſt; nec ideò paritèr, dummodò opportunâ tantum quantitate, ordine, et menſurâ celebretur; mortis cauſa cenſenda eſt.

Ego experientiâ coacervatâ et maturâ obſervatione compertum habeo, corticem peruvianum formâ apozematis, (opportunis pectoralibus et balſamicis adjectis) in aquâ fontanâ repetitis decoctionibus ppti. vel in formâ bol. pillul. aut electuar. in phthiſicorum

phthiſicorum febre putridâ intermittente, et deplorato phthiſico ſtatu, poſt debita intervalla frequentiùs repetitum, non tantum ad paroxyſmos febriles pro tempore ſupprimendum, et vitam per plures annos protrahendum; ſed ad perfectam etiam et eradicativam in aliquibus, febris prædictæ curationem perficiendum efficacitèr contuliſſe. Quam quidem felicem obſervationem, *à clariſſimo mortono* primariò acceptam, lubens et gratus agnoſco; in eleganti illo quem de phthiſi pulmonali olìm edidit tractatu: *cujus candidiſſimi authoris* verba hùc ſpectantia hic recenſere non pigebit.

‘ Quod ad febrem (inquit) putridam ‘ Phthiſicorum attinet, notandum eſt, ‘ quod etſi ægri methodo præcedente jam ‘ tractati, peripneumonici non intereant, ‘ inflammatione tamen tuberculorum pul‘ monalium in ulcerationem (quod ſæ‘ piſſime accidit) jam faceſſente, ſtatim ‘ ſub finem febris inflammatoriæ, febris ‘ putrida intermittens exoritur, certis peri‘ odis, ſingulis, vel alternis diebus recur‘ rens, unà cum algore, ardore, et ſudo‘ ribus ſucceſſivis; ſiquidem ſanguis in cir‘ culatione per has purulentas partes jam ‘ tranſiens, heterogeneis et inimicis parti‘ culis oppletur, atque opprimitur, a qui‘ bus natura jam irritata, inſurgit et pa-

‘ roxyſ-

'roxyſmum febrilem ſingulis, vel alternis
'diebus ad hoſtis extruſionem format.
'Quam quidem febrem ope medicamentorum
'pulmonarium, et balſamicorum penitùs
'eradicare eſt (quantum ego ſcio) planè
'impoſſibile, abſque ulcerum, à quibus
'iſta febris oritur, ſanatione, (quoties ſci-
'licet ea ſunt parva, atque benigna.)
'Corticis tamen peruviani, frequentèr, et
'debitis intervallis repetiti, efficaciam ad
'ſupprimendos paroxyſmos febriles, ſaltem
'pro tempore, ſæpiſſimè cum ſucceſſu
'fælici expertus ſum: adeò ut aliquorum
'Phthiſicorum pro deploratis jam habitorum
'vitam, frequenti ejus uſu non tantum per
'plures menſes, verum etiam annos pro-
'tractam eſſe viderim: qui, licet è ſtatu
'valetudinario nunquam planè evaſerint,
'tamen ejus uſu, à febre jam liberati,
'muniis ſolitis ſatis bene fungi potuere.
'Quare eum pro unico febrifugo, in hoc
'caſu, uſque huc reperto, habere ſoleo. Licet
'enim hoc modo induciæ parùm fidæ,
'atque incertæ comparentur; ſiquidem
'febris ſponte ſuâ, vel leviſſimâ de cauſâ
'repullulare ſolet, ex hâc tamen tempo-
'rariâ febris ſuppreſſione, æger non tantum
'a pluribus moleſtis, et gravibus ſymp-
'tomatis, pro tempore, illicò, liberatur;
'verum etiam amiſſas vires quadantenus
'recolligit, atque inſuper ſpatium medi-

 'camentorum

'camentorum balſamicorum, et pectora-
'lium uſui opportunum obtinet, quæ
'ulcerata tubercula ſanando, perfectam et
'eradicativam curationem febris efficere
'poſſint. Ideoque apprimè convenit, non
'tantum hujuſmodi medicamentorum
'balſamicorum uſui, in febris intervallis
'diligentiſſimè inſiſtere; verum etiam ea-
'dem cortici ipſi admiſcere, quoties
'ſcilicet eum repetere lubet, &c. *Mor-
'tonus Phthiſiologiæ lib. 2. cap. x.*

Et ſanè felices corticis peruviani effectus, in ſupprimendâ et debellandâ febre hecticâ, phthiſi pulmonari in primo gradu ſuperveniente; colliquatione humorum à febribus inflammatoriis acutis ortâ, imminuendâ; et phthiſi pulmonari acutâ ac funeſtâ præcavendâ; multotiès notavi. Neque in totâ materiâ medicâ ullum omninò huic æquale remedium, ad prædictos morbos amoliendum, laxatum in iſtis caſibus ſolidorum tonum, tutò et ſine moleſtiâ reſtituendum, et digeſtiones omnes reſtaurandum, aut experimentis à me ipſo factis, et repetitis, aut ab aliis exercitatis medicis in praxi tentatis exploravi; modò tamen legitimo ordine, menſurâ, tempore, & methodo, genuinus, et vegetus exhibeatur.

Hinc

Hinc eſt, quòd ſciolorum quorundam hâc occaſione imperitiam, nequeam quin redarguam; hi quippè, effæti aut adulterati corticis vix uncias duas, in formâ ſolidâ aut liquidâ, partitis licet vicibus, ægro ad extremum colliquationis gradum redacto tutò præſcribi poſſe, temerè audent pronunciare; et ſi caſu aliquo in ægrum incidant, qui exercitati cujuſvis medici conſilio inſtructus, juxta rationis normam et confirmatæ experientiæ leges, ad febrem putridam phthiſi pulmonari ſupervenientem debellandum, præfatum medicamentum formâ liquidâ aut ſolidâ, ad plures uncias poſt debita intervalla repetendum, vorare decerneret; hunc ſtatim mille ſtolidis terriculamentis, à legitimo et juxta præcepta artis ſtabilita, ritè indicato ſcopo deterrent. Si autem præ empiricâ inſcitiâ, aut improbâ aſtutiâ, ægri interitum, quod ſæpè fit, præpoſtero hoc, et ex dolo malo, recèns injecto ſcrupulo ſceleratiſſimè accelerent; hunc in corticem inſontem, aut medicum eundem ſubminiſtraturum clanculùm, et ſubdolè, refundere nituntur. Cum omnibus in hâc materiâ vel mediocritèr verſatis evidentiſſimè conſtet, ægri vitam in prædicto caſu à cortice ſolo, tanquam febrifugo omnium potentiſſimo poſt debita interjecta intervalla repetendo, protrahendam eſſe; mortis quoque conſequentèr

maturationem, in illicitam hanc et nefariam a polychreſti medicamenti uſu avocationem, tanquam in ſolam & genuinam cauſam, eſſe meritò refundendam.

Alii aſtrictoriam quandam in cortice virtutem eminere affirmantes, eundem in internis viſcerum abſceſſibus minùs convenire credunt. Quia, ut aiunt, reſtringente ſuâ facultate materiam purulentam incarcerat, illiuſque conſequentèr ſivè per anacatharſin, ſive per alias vias naturæ magìs accommodatas, eliminationem inhibet. Indeque hujus medicamenti uſum, in febre putridâ caſibus præfatis ſuperveniente, tanquam perniciosum aut penitùs detrimentoſum pertimeſcunt, et damnant.

Qui vanis hiſce inſomniis, et futilibus terriculamentis, aut philoſophicis deliramentis, ut *Mortoni clariſſimi* verbis utar; ægros à polychreſti hujus pharmaci uſu deterrere conantur; ſeriò ſecum reputent, quo pacto pharmacum quod more cathartici operari aliquando obſervatur, quodque in puerperio ſalubriter adminiſtratur, inter obſtruentia, & aſtringentia numerari poſſit? Hos iterum ſyſtematum commentitiorum patronos gratis commoneo, ut ſedulò animadvertant, quâ ratione medicamentum humorum viſciditati corrigendæ, et ſolidorum laxato

laxato tono reſtituendo aptiſſimum, reſtringentis aut obſtruentis remedii titulum commereatur ? nonnè contrarium potiori ratione inde ſequeretur ? quid enim ad obſtructiones reſerandas magis confert, quam debitam humorum attenuationem,ac fluiditatem, et ſolidorum deperditum, aut imminutum elaterem reſtituere ? aut quid aliud eſt humorum viſciditatem tollere, quam eoſdem attenuare, et fluidos reddere : ſicut laxatum tonum amovere, non eſt aliud, quam ſolidum debito elatere donare.

Quod verò cortex peruvianus non aliâ ratione, quam laxatum ſolidorum tonum reſtituendo, et fluidorum viſciditatem amovendo, febrium intermittentium curam abſolvat ; evidentèr demonſtrant intermittentium cauſa proxima, à peritiſſimis quibuſcunque medicis hâc ætate uno ore recepta, & ipſa corticis natura ac conſtitutiva partium fabrica, cum mechanicâ juxta *Neutoniana Principia* in hoc caſu operandi ratione, ab internâ partium conſtitutione, texturâ, et ſoliditate, petitâ.

Aut igitur ſententiam de corticis vi obſtructivâ et aſtrictoriâ malè fundatam, ac gratìs fictam inviti cogentur deſerere, hi qualitatum occultarum fautores ; aut ſaltem alium, ac penitùs diverſum ſolidorum

et

& fluidorum in febribus intermittentibus ſtatum agnoſcere, ab eo, quem hâc noſtrâ ætate, doctiſſimi et expertiſſimi quique medici uno ore propugnant.

Prædicta et abſurda, de Polychreſti pharmaci vi obſtructivâ præjudicata opinio, hinc, ni maximè fallor, forſan ortum habuit; quod, qui in ſuperficie tantum, et rerum cortice hærent medici minus ſagaces, nec ad rerum penetralia deſcendunt, obſervantes corticem peruvianum in fluxu menſium immodico, ſanguinis ſputo, & aliis hæmorrhagiis ſæpe prævalere; indè judicandi anſam erroneam temerè, nè dicam ignorantèr arripiant, Corticem præfatum inſigni aut notabili quâdam virtute aſtringente, obſtruente, et incraſſante fuiſſe donatum; cum de genuino pharmaci polychreſti operandi modo, ne vel toto hoc tempore minimùm ſomniarint.

Omnibus enim ad hunc eventum feriò attendentibus, plus ſatis manifeſtè conſtat, prædictas hæmorrhagias nullâ corticis virtute obſtruenti aut ſtipticâ debellari; ſed ſolâ vi febrifugâ, quâ febrem hecticam, aut aliam quamcunque, prædictarum evacuationum fomitem et cauſam amolitur, ſymptomata etiam ipſa memorata hinc orta efficaciter ſubjugare. Quo quidem nomine, ſi reſtringentem virtutem in prædictis

dictis caſibus dicatur exerere, hanc indirectè tantum, et cum peculiari ac coævâ virtute ſuâ febrifugâ cooperando exequitur.

Neque a veritate ullatenùs alienum eſt, idem ipſum medicamentum diverſas aperientis et reſtringentis pharmaci facultates, pro diverſis circumſtantiis ſæpiſſimè exercere. Chalybs v. g. in quibuſdam caſibus aſtringit, et corroborat, ſolida nimis laxata reſtituendo; in aliis verò, majus momentum partibus fluidis communicando, aperientis et ecphractici optimi medicamenti vicem explet. Cur igitur cortex peruvianus febrem hecticam amovendo, ſanguinis ſputum aliaſque ab iſtâ febre ortas colliquationes, unâ eademque operâ non tolleret? quamvis fluidorum viſciditates in aliis circumſtantiis ſolvendo, et imminutum in ſolidis ultra modum laxatis elaterem reſtituendo, aperientis, et obſtructiones minimorum vaſculorum reſerantis remedii virtutem, ægregiè nonnunquam exequatur.

Obſervatione multotiès repetitâ notum habeo, corticem peruvianum febrem hecticam pleuritidis verè inflammatoriæ, et peripneumoniæ declinationi,(præmiſſâ licet medendi methodo ad morbum ſubigendum opportunâ) ſupervenientem auſpicatò debellaſſe; et ſputi pariter

excreationem

excreationem eouſque obſtructam aut ſuppreſſam, cum ſummo levamine reſtituiſſe; morbo quinetiam in certis caſibus in ſuppuratione terminante, non tantum febrem hinc ortam, ſaltem pro tempore, illius virtute, in magnum ægri emolumentum fuiſſe repreſſam; ſed materiam inſupèr purulentam, rupto abſceſſu, feliciùs multò et faciliùs excreando eſſe quandoque rejectam; ægrumque denique, continuato ad aliquot ſeptimanas inſequentes, antihectici optimi cum accommodatis pectoralibus et balſamicis ſociati, lacteæ diætæ, aeris aprici ruſticani, & modicæ equitationis uſu, à phthiſi pulmonari Chronicâ vel acutâ, et alio quocunque morboſo ſymptomate liberatum, in ſanum & athleticum ſtatum revaluiſſe.

Laxatis enim, a morbo truculentiori, et repetitis venæſectionibus, ultra modum pulmonum fibrillis; ſputi viſcidi aut purulenti rejectio, à debilitatis nimium pulmonibus non ita felicitèr promoveri potuit; donec pharmaci polychreſti virtute, (enervatis hiſce et laxatis partibus ad debitum priùs elaterem reſtitutis)anacatharſis dein copioſa feliciùs proceſſerit.

Neque dubitarem ob eaſdem rationes, poſt abſceſſus in aliis viſceribus formatos, & ab

harum

harum partium inflammationibus, ex defectu debitæ et tempeſtivæ venæſectionis, et methodi antiphlogiſticæ accomodatæ malè curatis, ortas; non tantum febrem putridam intermittentem concomitantem, ab uſu corticis peruviani debitis intervallis repetiti, pro tempore ſupprimendam eſſe, ſed inſuper debilitatas viſcerum fibrillas ab aucto elatere quodammodò reſtitutas, materiam purulentam faciliùs et feliciùs in aliquam partem ignobilem, et vitæ conſervandæ minus neceſſariam deponere, aut per ſedes, urinas, vel alias vias naturæ magis accommodatas è corpore penitùs eliminare.

Diutiùs in his immorabar, ut præjudicia malè fundata, contra polychreſti et ſalutaris medicamenti uſum, aliquo ſaltem modo convellerem; Et ignaros ac verè empiricos corticis obtrectatores redarguerem. Quod ad me attinet; ingenuè fateor me nè vel minimum à præfato remedio, in memoratis caſibus incommodum percepiſſe, è contra vero idem ſummo cum levamine, et felici ſucceſſu plerùmque præſcripſiſſe. Nec in prædictis tantum Caſibus, ſed et in læſâ ventriculi digeſtione, hyſtericâ, et hypochondriacâ affectione, rheumatiſmo, Podagrâ, dyſenteriâ, ſudoribus nocturnis, et colliquativis, debilitatâ ſpirituum et nervorum craſi, phthiſi pulmonari, et nervoſâ,

febribus omnibus intermittentibus, et continuis remittentibus, febre hecticâ, at maraſmo, aliiſque compluribus morbis, feliciſſimos polychreſti pharmaci effectus, cum ſucceſſu ſingulari ſæpiſſimè expertus ſum.

Qui plura de nobili hoc remedio cognoſcere volet; conſulat *Clariſſimnm Mortonum exercitatione primâ de febribus*, cap. vii. *de cortice peruv. Et virtute ejus febrifugâ.*

Hoc tantum, quoniam de cortice peruviano jam ſermo fit, antequam finem faciam, obſervare libet, quod in hâc noſtrâ inſulâ, in quâ, ob rationes ſuprà allatas, ſolida magis laxata, et fluida ſæpius viſcida cernuntur; Polychreſti hujus medicamenti in morborum complurium curatione, virtus et efficacia eminentiori forſàn modo appareant; quam in aliis exteris regionibus, in continenti ſitis, obſervari ſolet: quod et omnibus in hâc noſtrâ Hiberniâ praxi medicæ incumbentibus, notatu haud indignum arbitror.

Caput

Caput Tertium.

De Variolis Annor. 1727, 28, 29, 30, &c.

CUM hujus conſtitutionis variolæ, ab illis, de quibus in præcedenti conſtitutione regnantibus, ſermonem inſtitui; parùm admodum diſcrepare videantur; vel quoad morbi hiſtoriam; vel quoad medendi methodum; quicquid mihi de præſentibus obſervare licuit, in quantum tamen à præfatis iſtis diſcrepabant, paucis abſolvam.

Primò quidem, variolæ hujus conſtitutionis diſcretæ benignæ, cum præcedentibus diſcretis benignis, quoad hiſtoriam, et eventum morbi felicem, ſatis aptè conveniebant. Rariùs tamen in hâc, quàm in alterâ conſtitutione, apparuit hæcce variolarum ſpecies.

Diſcretæ crudæ, et malignæ, ad confluentium naturam, durante hujus conſtitutionis prædominio propiùs accedebant, quàm in illâ ſuperiùs memoratâ eas acceſſiſſe obſervatum eſt. In iſtis quoque maculæ purpureæ, et

nigræ, in puſtularum interſtitiis haùd rarò comparuerunt; et puſtularum color minùs floridus, luridum nonnunquam appetebat.

Eruptio ſecundo, vel tertio morbi die, primò apparens, ad octavum, aut nonum ſæpiùs protracta fuit; aliquandò verò poſt undecimum morbi diem recentes quædam puſtulæ in conſpectum venire conſueverunt.

Nauſea, ægritudo univerſalis, dorſi dolor horrendus, vomitio immanis, febris intenſa, ſitis moleſta, delirium ſæpè phreneticum, aut comatoſum, diarrhæa enormis, et vigiliæ pertinaces, eruptionem ſæpè anteceſſerunt, et cum eâdem etiam protrahebantur. Urina cruenta, et narium hæmorrhagia, in primo apparatu quandoque ſupervenerunt; una cum petechiis nigris, vel luridis ſuprà memoratis.

Funeſta hæc ſymptomata à regimine præfervido prægreſſo, ſudorificorum medicamentorum præpoſtero, ac temerario uſu, et immodico ſtragulorum pondere, ad extorquendos, à primâ morbi invaſione, vi violentâ ſudores, haùd ſemel invocata fuiſſe, tum in hâc, tum in aliis variolarum ſpeciebus; et mortem

tem certam, citam, ac funeſtam, hinc inſecutam ſæpiùs obſervavi.

Salivatio huic morbo non minùs, quàm confluentibus variolis familiaris, ad decimum quartum circitèr diem frequentèr perduravit. Epiſpaſtica, & paregorica medicamenta, ad morbum hunc debellandum, cum felici ſucceſſu pro re natâ uſurpata ſunt. Cordialia temperata progrediente ad maturationem morbo; puſtulis autem ad incruſtationem vergentibus, generoſiora et magìs activa, præcipuè verò ſerum lactis canarinum, lapis contrayerv. vel de goâ, tinctura virginiana, et julapia in ſuperioribus pagellis recenſita, pro re natâ auſpicatò miniſtrabantur.

Spirit. vitriol. uſus, venæſectio, et lene emeticum, in morbi apparatu tempeſtivè præſcripta, haùd parùm contulerunt. In confluentibus et cohærentibus regularibus, omnia, ut in præcedentibus nuperæ conſtitutions variolis, proceſſerunt.

In crudioribus autem & anomalis, ſymptomata ferè omnia graviſſima ſæviebant. Venæſectio tempeſtiva, & lene emeticum eruptioni præmiſſa, pleriſque ægrotis profeciſſe obſervabantur. Spirit. vitriol. & liquores ſubacidos; veſicatoria ad diverſas humani

humani corporis partes ſucceſſivè applicata ; cordialia, & alexipharmaca medicamenta pro re natâ, et diverſis morbi temporibus, & circumſtantiis nunc leniora, nunc generoſiora ritè miniſtrata ; paregorica, pediluvia, balneationes, fotus, & vapores emollientes ; clyſmata emollientia, gargariſmata, & cataplaſmata in præcedentibus memorata ; aliaque ejuſmodi eventu haùd rarò felici præſcripta, et pro ſymptomatum ſævitiâ, duratione, aut indicationum varietate, debitâ methodo rariùs, vel frequentiùs in hoc morbo repetita ; utiliſſima ſæpè & efficacia notavi.

Morbum demùm hunc ſuâ naturâ truculentum, et periculoſum, die circiter undecimo, decimo quarto, decimo ſeptimo, vel diebus intermediis, celebratâ ſubitò venæſectione, et medicamentis alvum ſubducentibus, præcipuè verò repetitis Clyſteribus, (irritâ in quibuſdam caſibus aliâ omni medendi methodo,) favente ſummo numine, quandoque ſublevavi.

Hæmorrhagiæ univerſales, cum petechiis nigris, et aliis pravis ſymptomatis ſociatæ, ante, vel poſt variolarum eruptionem ſuperveninentes, mortem citam, ac certam, plerumque prænunciabant.

Hinc crederem, apparente, aut perſeverante hæmorrhagiâ, ſive in apparatu morbi, ſive erumpentibus jam puſtulis, ſive deniquè poſtquam in conſpectum venerint exanthemata omnia, urina cruenta, ſanguinis è pulmonibus rejectio, vel ejuſdem per alvum aut nares excretio ſupervenerint; non tantum methodum à me in priori conſtitutione, & parilibus caſibus (cujus quidem felices effectus & in hâc ipſâ obſervavi) ſtabilitam, in uſum eſſe revocandam; ſed etiam inſupèr phlebotomiam ritè & ſine morâ eſſe inſtituendam.

Æger enim in hoc periculoſo, nè dicam deſperato ſtatu manens, in multo minus, à venæſectione celebrandâ, quam ab hæmorrhagiâ profuſâ & pertinacitèr perſiſtente, vitæ diſcrimen conjicietur; præcipuè verò, cum ab illâ tempeſtivé inſtitutâ, hanc felicitèr ſublevandam eſſe expectandum ſit.

Venam in variolis confluentibus abſolutâ jam eruptione, & etiam in cohærentibus, ſenioris medici monitis *in Noſocomio generali Pariſienſi* olìm ſectam ſæpiùs vidi: nulla quamvis plerumque ſupervenerit hæmorrhagia. Nec ullum intereà, quod jam meminerim, inde ægro damnum, aut vari-

olarum

olarum eruptioni, vel maturationi, ortum impedimentum conſpexi.

Lugduni Batavorum mihi in propriis ædibus, vivâ voce retulit vir magni nominis *Hermannus Boerhaave*, ſe variolarum eruptione quantumvis prægreſſâ, mictu ſanguineo, vel aliâ quâcunque hæmorrhagiâ univerſali ſuperveniente, ſanguinem pro certo detracturum; exceptis tantummodo caſibus quibuſdam valdè ſcorbuticis, in quibus, ad hoc ſymptoma ſubigendum, camphoratorum medicamentorum uſum ſatis felicem expertus eſt.

Affirmavit mihi paritèr memoratus vir Clariſſimus, ſe ſæpiùs expertum fuiſſe Cinnabarina medicamenta ſtatim a primâ, invaſione aut ſaltem eruptione miniſtrata in hunc nempè finem, ut ſuppuratio puſtularum varioloſarum in confluentibus præcaveatur, cum optato eventu ſcopum propoſitum attigiſſe; ſeque ægrum hâc methodo à truculentiori morbo incolumem quandoque reſtituiſſe. Fides autem quoad præſentem hanc obſervationem, ſit penes authorem. Ingenuè namque fateor, me nondum hoc per obſervationes proprias, aut experimenta in praxi facta fuiſſe expertum.

Ad

Ad ſitim tollendum, & partes ſolidas, præcipuè verò gulæ & gutturis interna, in potus deglutiendi difficultate huic morbo familiari, relaxandum; vapor aquæ dulcis calidæ, per os & nares receptus, remedium tutum eſt, & ſatis utile.

In conſtitutione epidemicâ varioloſâ, notabilem ſatìs morbi diſcrepantiam & varietatem in unâ eâdemque familiâ, (iiſdem licet aere, diætâ, exercitio, & hoſpitio utantur;) pluriès notavi. Qui iiſdem nati ſunt parentibus, & in eodem conveniebant ſexu, nec ætate, habitu corporis, aut temperamento, multum inter ſe diſcrepabant; uno ferè eodemque tempore, eâdem etiam epidemicâ conſtitutione, variolis correpti ſunt, & conſimilem in omnibus invaſionis morbi occaſionem agnoſcebant; in his aliquandò memorabilem hanc, in hujus ægritudinis genio & naturâ, diverſitatem expertus ſum.

Filius viri cujuſdam nobilis natu maximus, variolis epidemicis primus correptus, morbum ſuâ naturâ levem, benignum, diſcretum, et regularem, citò, tutò, & jucundè percurrit. Alius natu minor, brevi poſt tempore, & ex eâdem occaſione, in variolas confluentes, anomalas, & malignas, cum petechiis purpureis, ſub-

luridis, aut nigris, ſanguinis ſputo, urinâ cruentâ, delirio phrenetico, aliiſque funeſtiſſimis ſymptomatis ſociatas incidit. Hic aut ſubitò moritur; aut ægrè admodum, & non ſine ſummâ artis ope, ab orci faucibus eripitur.

Cum autem poſteriori, per contagium à priori communicetur morbus; & in ſupradictis ambo convenerint; unde quæſo tanta in utriſque variolarum diverſitas? Non à cauſis generalibus, conſtitutione v. g. aeris regnante, diverſo rerum non naturalium uſu, habitu corporis vel temperamento diverſis, aut à malignitate miaſmatis contagioſi, quià à perbenigno varioloſo ſeminio, effluebat contagium poſteriori ægro communicatum, hujus eventus ratio repetenda eſt.

Hoccine igitur experimentum ritè ſuaderet, ut ſeriò cavêant, qui ſanis variolas ex induſtriâ inoculando, ut aiunt, communicant; ne ſeminio contagioſo è fonte benigno deprompto nimiùm fidentes, lethales, aut ſaltem malignas, et periculoſas variolas præter intentionem impertiant?

Puer unus ex aliâ nobili familiâ, primus omnium in iiſdem ædibus habitantium, peſſimi moris crudiſſimis variolis, praviſ-
ſimorum

ſimorum ſymptomatum agmine ſtipatis, corripitur. Frater ejus natu minor, et ſoror infantilem ætatem vix prætergreſſa, eodem confluente & anomalo morbo ſubitò decumbunt. Duo maſculi ægrè quidem, & cum ſummâ difficultate incolumes reſtituuntur; Puella autem truculento morbo ſuccumbens, migravit ad plures. Horum trium uno & eodem tempore decumbentium curam ſuſcepi, binæ verò aliæ filiolæ morbo adhuc intactæ remanebant, formæ quidem elegantiâ non minùs, quàm nobilitate ſpectabiles: Parentes morbi vehementiâ, & malignitate ultrà modum perterriti, me enixiſſimè orabant, ut methodo aliquâ (ſi penes me id fuiſſet) harum conſervationi, morbi malitiam quadantenùs imminuendo, proſpicerem.

Ego verò morem gerens, ſanguinis mediocrem quantitatem ſtatìm detrahendam, et alvum poſtero die leni cathartico utriſque ſubducendam præſcripſi; alterniſque diebus, ad tres aut quatour partitas vices, purgationem repetendam curavi. Lac, lacticinia, poma cocta, juſcula hordeacea, avenacea, panatellam, emulſionem amigdalinam, ſerum lactis, & ſimilia debito ordine & ſtatis temporibus in diætam miniſtranda ſuaſi. A carnibus, & liquorum omnium fermenteſcentium, aut ſpirituoſorum uſu,

ab exercitiis immodicis, vigiliis, mærore, timore, & aliis omnibus gravioribus animi pathematis eaſdem ſedulò inhibui.

Tandem verò poſt tres elapſas ſeptimanas, antecedente per triduum febre miti & benignâ, uno & eodem ferè tempore, uni et alteri eruperunt puſtulæ varioloſæ perpaucæ, diſtinctæ, verrucales, & mitiſſimæ; quibus debita ſtadia ſine moleſtiâ, vel ægritudine ullâ inſigni, citò, & tutò, percurrentibus; ægræ nobiles, abſque vel minimo formæ vel faciei nitori, damno ſuccedente, morbum auſpicatò ſuperabant.

Nonnè hinc ſequeretur felicem omnem inoculationis eventum, à corporis præviâ præparatione præcipuè pendere? St ita ſit; quæri iterùm poſſit, cur præparativa idonea, & debita per opportunum tempus diæta inſtituta, (variolis in urbem aliquam populoſam, aut aliam cujuſcunque loci viciniam, denſo agmine irrumpentibus) ad ſpeciei humanæ, à diris truculenti hujuſce morbi effectibus conſervationem, (omiſſâ penitùs inoculatione) pari ſucceſſu, & efficaciâ non conferant; abſque vel minimo, erroris indè inſecuturi, aut levioris, in ſupremam Creatoris opt. max. majeſtatem, offenſæ committendæ periculo?

Caput

Caput Tertium.

De Diarrhæâ & Dyſenteriâ.

IN diarrhæâ humores bilioſi, ſeroſi, pituitoſi, aut excrementitii, ſine ſanguine, aut alimento, per alvum frequentiùs excernuntur. Critica eſt, aut ſymptomatica, vel colliquativa.

Diarrhæa critica fit cum bonis ægri rebus, ac facili tolerantiâ. Hinc materiæ morbificæ debitâ coctione prægreſſâ; morbi ſolutio, vel magna ſaltem imminutio ſequitur.

Symptomatica morbo adhùc crudo ſupervenit; ſummum ægrotanti creat laborem; vires mirum in modum infirmat; & morbum plerumque vel majorem, vel longiorem reddit.

Colliquativa corpus confeſtìm abſumit, & emaciat; vel in maraſmum deducit; ac febrem hecticam plerumque comitem habet.

Alvi excrementa liquida, quæ in progreſſu morbi ſensìm craſſeſcunt; bona.

Fluida alvi excrementa cum dolore, & laborioſâ, ac frequenti dejectione; mala: & quæ non ſentientibus effertur dejectio, pejor.

Liquida dejectio, quæ cum morbo acuto incipit, et cum eodem perſeverat; mala: quæ cum facili tolerantiâ contingit, & undè levamen accidit; bona. Quæ verò laborioſa eſt, cum virium dejectione; mala.

Si leucophlegmatiâ detento fortis diarrhæa ſupervenerit; malum ſolvit. *Hipp. aphoriſm.* 29. *Sect.* 7.

Mulieri utero gerenti, ſi alvus plurimum fluat; periculum eſt nè abortiat. *Hipp. aphor.* 4. *Sect.* 5.

A diarrhæâ diutiùs ſubſiſtente, ſi humores excernendi acriores ſaltem ſint; in Dyſenteriam facilis eſt tranſitus.

In dyſenteriâ frequens & mucoſa, vel cruenta eſt alvi dejectio; cum ventris cruciatu, torminibus, & moleſto quaſi inteſtinorum, ac viſcerum deſcenſu, ſociata.

Præcedunt

Præcedunt aliquandò rigor, & horror, cum calore, ut in febribus fit, inſequente. His tandem tormina, et dejectiones mucoſæ, cruentæ, et ſtercoroſæ ſuccedunt. Æger interìm, ſi præſertìm cardiacorum, aut excalefacientium medicamentorum adventitio calore, in ætatis flore torreatur, febricitat; cum linguâ initio albâ, progrediente morbo, ſæpiùs ſiccâ, et quandoque nigrâ, magnâ virium & ſpirituum diſſipatione, cruciatibus, ægritudine, & teneſmo ſociatus.

Crebrioribus hinc dejectionibus laceſſitâ penitùs naturâ, et extremorum frigore ſuperveniente, multùm periclitatur æger; vel, ſi hoc præſentaneum vitæ diſcrimen evadat; in morbi progreſſu, ſanguinem ſincerum largiori quantitate ſingulis conatibus egerit, interitum minantem; vel quandoque, per materiæ acrioris et inflammantis affluxum, gangrænam inſanabilem invocantem. Aphthæ nonnunquàm fauces, et oris interna, œſophagum, ventriculum, et integram fiſtulam aut canalem inteſtinalem occupant; mortis aut gangrænæ inſecuturæ ut plurimùm prænunciæ. Hæ plerumque ſuperveniunt, quandò poſt regimen calidius, materia acris et morbifica (fomite morboſo per opportuna cathartica non priùs eliminato) medicamentis

mentis nimiùm reſtringentibus,in uſum præmaturè invocatis concluditur.

Cauſæ dyſenteriæ externæ, ſunt cibi acriores, pravi ſucci, aut putredini obnoxii; medicamenta deleteriâ qualitate prædita, aſſumpta; contagium ab effluviis, è corpore morbido,hujuſve excrementis,manantibus ortum; conſtitutio aeris epidemica morbo procreando aptiſſima; et perſpiratio à frigore externo intenſiori, aut aere humidiori, læſa et imminuta; aliaque ejuſmodi. *Undè Hipp. Aphor.* 11. *Sect.* 3. Si hyems plùs juſtò frigidior, & ſiccior extiterit, ver autem pluvioſum et auſtrinum fuerit; æſtate futuras eſſe dyſenterias aſſerit. *Et Aph.* 12. *ejuſdem ſectionis.* Si hyems admodum auſtrina fuerit, et pluvioſa; ver autem ſiccum,et aquilonium; dyſenteriæ producendæ tempeſtates illas eſſe maximè idoneas obſervavit.

Si inteſtina tenuia afficiantur; majus imminet vitæ periculum: dolor accutiſſimus eſt, quaſi aciculis compungatur æger: alvus poſt tormina non deponit illicò: ſanguis ſtercoribus omnibus permixtus eſt: vehementiùs et crebriùs delirium incedit: dolor altius circà umbilicum verſatur: inter hunc et dejectionem, longius intercedit intervallum: ſitis, et febris urgent: ſtercus crudum profluit, et malè olens, loturæ carnium ſimile:

mile: biliofum, porraceum, varium: cum multo ventris cruciatu, et virium debilitate enormi, animi defectionem minante.

Cum autem in jejuno inteſtino morbi ſedes eſt, cruda magìs apparet dejectio, cum ſanguine nigriore, excrementis undiquè mixto. Plùs etiàm hìc ſititur, et nauſeatur: cibi faſtidium urget magìs, et vomitus interdùm oritur: dolor umbilico ſuperior eſt, et febrem mali moris comitem habet: æger decolor eſt, et ad animi uſquè deliquium exudat: quibus omnibus, unâ cum pulſu languidiori, vacillante, intermittente, et extremorum frigore, concurrentibus; mors in propinquo eſt.

Craſſis affectis inteſtinis, dolor minùs vehemens, & diuturnus eſt; à ventris cruciatu ſtatìm fit excretio: cruor, et purulenta materia, alvi excrementis ſupernatant, aut parùm permixta apparent; et minùs in hoc caſu imminet vitæ periculum.

In longis inteſtinorum difficultatibus, cibi faſtidium, malum: et cum febre pejus. *Hipp. aph.* 3. *Sect.* 6.

Si dyſenteriâ detento, veluti carunculæ dejiciantur; mortiferum eſt, ac lethale. *Hipp. aph.* 26. *Sect.* 4.

Podagricis et lienoſis ſuperveniens dyſenteria, bonum. *Hipp. in Prædict.* & *aph.* 48. *Sect.*6.

Senes et tabidi hoc morbo ſæpiùs pereunt, quàm in ætatis flore conſtituti ; Infantes ; aut pueri.

Vigiliæ immodicæ, dejectiones ſinceræ, nigræ, fætidæ, ſanguinis excretio copioſa, ſuperveniens lienteria, ſingultus, vomitus bilioſi, jecoris, et præcordiorum dolor, ſitis intenſior, ſumma corporis extenuatio, et inſignis virium proſtratio, unà cum pulſu minimo, vacillante, ſudoribus et extremis frigidis, lethalem ut plurimùm dyſenteriam prænunciant. Ut plurium annorum experientiâ notavi.

Sudor diarrhæis ſuperveniens, morbum ſiſtit. Materia enim à glandulis inteſtinalibus ſeparari & excerni ſolita, factâ revulſione, et liberatis jam inteſtinis, per cutem eliminatur.

Dyſentericis vomitus bilioſus in principio malus eſt. *Hipp. coacæ præn. Sect.* 3.

In inteſtinorum ſphacelo extrema frigeſcunt : pulſus exiles et inæquales ſunt : ſitis minùs urget : nec dolor in affecto loco torquet :

quet: ſed quibuſdam, paucis ante mortem horis, delirium ſupervenit; ut pluries obſervavi.

Dyſentericis ſi ſuperveniant linguæ inflammatio, et deglutiendi difficultas; malum.

In fluxu hæmorrhoidali, ſanguis præcedit fæces: in dyſenteriâ, vel poſt, vel cum fæcibus excernitur.

Colica et dyſenteria mutantur in arthritidem: et è contra.

Alvô liquidâ venus frigeſcit, ſiccâ lætatur; venus nimia exſiccat alvum.

Quæcunque verò egeſtiones liquidiores ſunt, quàm ut in tranſitu conformentur; hæ ſanè omnes pejores ſunt. *Hipp. prædict. L.* 2.

Liquidiores egeſtiones ſine febribus contingentes, & quæ ſeptimâ die, aut citiùs judicantur, commodæ ſunt; ſi ſemel unâ vice omnes fiant, & non revertantur. Si vero inſupèr febrierint homines, aut alvi profluvia redierint; ſi longa fuerint; ſive pituitoſa, ſive cruda, ſive bilioſa fuerint; penitùs mala. Et victus ratione propriâ ſingula opus

 habent;

habent; itemque medicamentis; alia, aliis. *Hipp. L. Citat.*

‘ Dyſenteriæ, ſiquidem cum febre invaſe-
‘ rint, aut variis alvi egeſtionibus, aut cum
‘ hepatis inflammatione, aut præcordii, aut
‘ ventris: aut quæ doloroſæ fuerint, aut
‘ cibos intercipiant, ſitimque inducunt; Hæ
‘ omnes malæ ſunt. Et qui ſane plurima
‘ horum malorum habuerit, citiſſime pe-
‘ ribit. Cui vero pauciſſima talium affuerint;
‘ de hoc bene judicandum eſt. Moriuntur
‘ autem ex hoc morbo maximè pueri quin-
‘ quennes, et ſeniores adhuc, decennes:
‘ reliquæ vero ætates minùs. At quæ dy-
‘ ſenteriæ commodæ ſunt, hæ mala hæc non
‘ inducunt, verum ſanguine, et ramentis
‘ egeſtis deſiverunt ſeptima die, aut decimâ
‘ quartâ, aut vigeſimâ, aut quadrageſimâ,
‘ aut intra hæc tempora: hujuſmodi enim
‘ egeſtiones etiam eos, qui prius ſunt in
‘ corporibus, morbos ſanant: antiquiores qui-
‘ dem, diutiori tempore, recentiores autem
‘ in paucis diebus ſubmovere poſſint: nam
‘ et quæ uterum geſtant. Etiam ipſæ evadunt
‘ ſuperſtites magis ad partum, et ex partu,
‘ et fætus conſervant, ſanguine, et ramentis
‘ egeſtis, etiam per multos menſes, niſi dolor
‘ ipſis affuerit, aut aliud quoddam malum
‘ ſignum ex his, quæ in dyſenteriis fieri

‘ ſcripſi,

'ſcripſi, acceſſerit. Si vero aliquod illorum
'apparuerit; et fætui perniciem ſignificat,
'& prægnanti periculum, ſi non poſt fætus
'effugium et ſecundæ exolutionem, ipſa dy-
'ſenteria eâdem die, aut poſt modicum tem-
'pus deſinat. *Hipp. prædict. L.* 2.

Prædicere autem oportet excretionem ſubtus erumpentem deſituram eſſe; cum tangenti ventrem manu nullus motus occurrerit, et in fine egeſtionis flatus penetrarit. *Idem Lib.* 2. *Prædict.*

Spumoſa, circumbilioſa alvi egeſtio, mala eſt: mala etiam purulentâ; et nigra: cruenta cum febre, et alias. *Idem Coac. Præn.*

Lethales egeſtiones ſunt, pinguis, nigra: livida, cum graveolentiâ: et bilioſa: et omnis quæ ſenſum ægri fugiens exit. *Idem L. Cit.*

Cum liquida hominem exercet; utile eſt neque ſtridere eam, nequè nimìs frequentem eſſe; ſed paulatim ferri.

Cum alvi profluvium in vetuſtatem incidit, tunc, Si ultrò vomitus accedit; id ipſum conquieſcit.

Bilioſæ dejectiones accedente ſurditate ceſſant: et ſurditas è contra iiſdem dejectionibus finitur. *Hipp. L. Cit.*

Dyſenteriæ Curatio.

Ad acres humores in inteſtina ruentes revellendum, & eliminandum, ſanguinis primo loco unciæ decem, ægro adulto & ætatis florem nondum prætergreſſo, horâ aliquâ matutinâ detrahuntur. Eodem veſperi hauſtus paregoricus, ex aq. cinnamom. hordeat. unc. ii. ſyrup. de mecon. drach. ii. & L. L. ſydenhamiat. gutt. xx. compoſit. propinatur, horâ decubitus; augendo vel minuendo doſin pro ratione ætatis, aut ſymptomatum exigentiâ.

Die inſequenti, emeticum è rad. ipecacoan. bol. vel potion. formâ exhibetur; ſuperbibendo (ut fieri ſolet) Infus. flor. chamæmel. aut fol. theæ virid. repetitos hauſtus. Paregoricum interìm horâ ſomni repetitur; ut pridiè.

Poſtero mane, ſi ægri vires hoc ferant; potionem lenem catharticam in hunc vel ſimilem modum concinnatam, præſcribere ſolitus ſum.

R. caſſ.

R. caſſ. recent. extract. & tamarind. ā drach. ii. rhei. elect. incis. drach. i. myrobalan. citrin. drach. ii. infunde in aq. bullient. q. s. colatur. unc. iii. diſſolve man. calabrin. & ſyrup. de cichor. compoſit. ā drach. vi. aq. cinnamom. hordeat. drach. ii. miſce f. potio purg. capiat horâ opportunâ matutinâ cum regimine.

Abſolutâ cathartici operatione, paregoricum paulò temporiùs exhibetur, ad fluxum & ventris tormina præcavendum. Si autem ſymptomata iſta pertinaciùs ſubſiſtant, aut horâ aliquâ nocturnâ iterùm revireſcant; narcoticum medicamentum in hoc caſu ſine morâ repetitur; Augendo vel minuendo doſin, pro ſymptomatum ſævitiâ, & prioris paregorici feliciori, aut minus felici effectu.

Si in morbi initio, ſatìs tempeſtivè advocatus fuiſſem; idquè inſupèr commodè ſatìs ferant ægri vires, & ætas; potionem purgantem prædictam poſt biduum, aut triduum, ſemèl ſaltèm repetere non dubitarem; nec minori ſedulitate hauſtum paregoricum modo ſupradicto propinarem, & pro re etiam natâ repetendum curarem.

Potionis

Potionis purgantis prædictæ loco, tinctur. rhabarb. phar. Edinburg. unc. ii. vel iii. cum felici profectò ſucceſſu, ſubſtituere ſæpè ſolebam. Et quandò ægri vires, aut ætas, ad pleniorem materiæ morbificæ per evacuantia medicamenta, exantlationem non ſufficerent; bolum è gran. aliquot. rhab. torrefact. ſubtiliſſimè trit. ol. cinnamom. gutt. i. & confectionis *Fracaſtor.* ſine melle q. ſ. conflatum, prædictorum loco ſæpiſſimè præſcripſi, poſt debita intervalla bis, aut ter, pro re natâ repetendum.

Diebus purgatione vacantibus, alternis, aut tertiis, poſt elapſam ab aſſumptâ veſpertinâ paregorici medicamenti doſi ſemihoram; enema ſequens, parvâ tantum ſingulis vicibus quantitate injiciendum præcepi. Quod quidem, hoc ordine & cum hâc cautelâ injectum, faciliùs multò, ac feliciùs ab ægro retinetur, quam alioquin fieri ſolet.

> ℞. raſur. ebor. C. C. ā drach. ii. oriz. cort. querc. granat. incis. ā ſcrup. iv. flor. balauſt. roſar. rubrar. ā ſemipugil. fol. plantag. ſemimanipul. coque, ut artis eſt, in aq. dul. & lact. vaccin. ad par. æqual. commixt.

mixt. ā unc. vi. ad unc. iv. in colaturâ diſſolve confection. *Fracaſtor.* ſine melle, & theriac. *Andromach.* ā drach. ii. vitel. ov. ſolut. 1. L. L. ſydenhamiat. gutt. xxx. miſce, f. enema tepidè injiciendum, & quamdiù fieri poteſt, retinendum.

Si autem tormina, & ventris cruciatus nimìs ſæviant; enema ſaltem unum, aut alterum, ex juſculo è pedibus vervecinis parato, cum ſpermat. cæt. ſemiunc. commixt. uſui enematis reſtringentis ſupradicti, ad humorum ſcilicet acrimoniam retundendum & contemperandum, præmitti debet.

Enemata reſtringentia, parvâ tantùm ſingulis vicibus quantitate, injicienda volo, ut faciliùs retineantur; quia experientiâ ſæpiùs repetitâ didici, enemata in hoc morbo ultrà trium vel iv. unciarum quantitatem injecta, nec facilè, nec diù retineri poſſe. Cum enim largior craſſi liquoris copia, per ſyphonem in inteſtina intruditur, fieri non poteſt, quin flaccidæ harum partium fibrillæ, ab adventitio injecti jam liquidi pondere ita relaxentur, & premantur; ut ad contentorum impetum facientium, impulſum ampliùs ſuſtinendum ineptæ omninò factæ, hæc eadem ſubitò elabi neceſſariò ſinant.

Enemata emollientia & humorum acrimoniam obtundentia, largiori paulò quantitate injici poſſint, ac debeant: quià ob diverſas prorſùs intentiones, hæc, & iſta ſubminiſtrantur; quòdque inſupèr ob demulcentem horùm qualitatem, nimìs jàm ſenſibiles inteſtinales fibrillæ minùs laceſſantur, aut ad contenta excernenda impellantur; & quod prætereà, quia ad acrimoniam ſalinam diluendum deſtinantur, horum retentio diuturnior ad hanc indicationem explendum minùs utilis ſit, aut neceſſaria.

Enematum quorumcunque repetitionem in hoc morbo frequentiorem, noxiam ſempèr & infauſtam obſervavi. Laxatìs enim hoc modo recti inteſtini, & ſphincteris ani fibrillis, fluxus alvi hinc pertinaciùs & diutiùs perſeverat.

Plethoricis, & ſanguineis temperamentis præditis, (qui à ſuppreſſis debitis evacuationibus,aut frigore ſuſcepto,in ventris tormina vel cruciatus incidunt, febre, viſcerum inflammatione, aut profuſâ ſanguinis per alvum excretione ſtipati,) ſi ætatis florem nondum prætergrediantur; ad acrium humorum in inteſtina ruentium impetum cohibendum, inteſtinorum viſcerumque abdominalium ulcera, gangrænam, aut ſphacelum

celum præcavendum, & febrem inflammatoriam amoliendum, venæſectionem auſpicatò repetere ſoleo.

Diætam inſtituo incraſſantem, aſtringentem, & corroborantem : Juſcula v.g. orizata, cochl. aliquot vini rubri ſemicocti, & ſacchari albiſſimi idoneâ quantitate condita, panatellam, et C. C. gelat. pari modo condit. vel cum aq. cinnamom. hordeat. cochl. aliquot, vini rubri loco, commixt. ovum paritèr ſorbile, et ad prunas coctum, lac cum pane aut orizâ coctum, & in majori virium languore panem toſtum, cum modicâ quantitate vini rubri ſemicocti, ſpeciebus cordialibus ſaturati, & ſaccharo albiſſimo ad gratum ſaporem edulcorati ; Juſcula qucque è carnibus pullorum, orizâ, C. C. C. & cruſtâ panis albi parata. In potum ordinarium, decoctum album, vel rubicundum, emulſionem arabicam, tinctur. roſar. rubrar. vel lac cum aquæ triplo coctum, cum quo, ſi morbus nimìs ſæviat, C. C. C. & rad. tormentil. q. ſ. concoquitur ; aut his ſimilia, ſubminiſtranda præcipio.

Si autem æger ſenex fuerit, aut infans ; hyſterico, hypochondriaco, aut alio quocunque præcedenti morbo attritus ; vel ſi minùs tempeſtivè, & poſt plures tan-

tùm à primâ morbi invaſione elapſos dies, advocarer; nec febris intereà vehementèr urgeat; mihi in tali caſu ſolenne eſt, (modo tamen ægri vires his evacuationibus ſuſtinendis ſufficiant) poſt unicam tantum pro virium ratione inſtitutam ſanguinis miſſionem, (ſi ſanguis neutiquam hùc uſque miſſus fuiſſet,) emetici lenioris unicam tantùm doſin exhibitam, & tincturam rhabarb. phar. Edinburg. ſemel propinatam; ad corroborantia, et reſtringentia medicamenta ſtatìm procedere.

Si verò præ virium debilitate aut diuturnitate morbi prægreſſâ, ætate infantili vel nimìs provectâ, prædictæ evacuationes, aut harum aliqua tutò jàm inſtitui non poſſent; ab illis religioſè manum tempero. Intereà tamen ſivè memorata evacuantia præmittantur; ſivè ob rationes jam recenſitas omittantur; ſequentia præſcribo.

R. conſerv. roſar. rubrar. ſemiunc. bol. armen. ſanguin. dracon. lapid. hæmatit. corall. rubr. ppti. ā. drach. i. terr. japon. drach. ii. cort. peruv. electiſſim. ſubtiliſſimè trit. drach. vi. alum. rup. croc. mart. aſtringent. ā. ſcrupul. ii. ol. cinnamom. nuc. moſchat. ā. gutt. ii. cum. ſ. q. ſyrup. corall. aut è roſ. ſiccis f. electuar.

tuar. debit. conſiſt. capiat quantitatem nucis moſchat. ſextâ quâque horâ; ſuperbibendo cochl. iii. vel iv. tinctur. aut apozemat. ſequent.

R. cort. peruv. electiſſim. craſſè. trit. unc. ii. rad. tormentil. incis. unc. i. cort. querc. recent. granat. ſciſſ. ā drach. vi. C. C. C. unc. i. repetitis in aquâ fontanâ decoctionibus eliciantur apozemat. fortiſſim. lb. iii. ſub finem cujuſlibet coctionis adjiciendo fol. plantag. m. i. colaturis omnibus commixtis, adde aq. cinnamom. hordeat. unc. iii. ſyrup. Cydon. drach. x. miſce exactiſſimè, in uſum ſupradictum.

Alvi fluxu pertinacitèr perſeverante, gutt. viii. vel x. Laudan. liquid. ſydenhamiat. commodè inſtillantur ſingul. apozemat. prædict. doſib. plùs minùs, pro effectus ratione, minuendo etiam medicamentorum omnium prædictorum doſin, prout æger ad infantilem ætatem magìs acceſſerit.

Ægro memoratum apozema, præ ſtomachi debilitate nauſeante; ſubſtitui debent *Decoct. Fracaſtor.* cochl. ii. vel iii. poſt omnem electuarii præſcripti doſin, propinanda; cujus quidem decocti magnam et ſingularem, in

hoc

hoc morbo debellando efficaciam frequentiſſimè expertus ſum.

Si tamen æger apozem. prædict. in ventriculo retinere, et aptè digerere valeat; ut eo utatur, præcipio. Interìm verò ut capiat cochl.prædict. *Decoct. Fracaſtor*. ad minimùm ii. in omni languore, per modum refocillantis julapii injungo; ſempèr et ſeriò cavendo, ut pro ratione quantitatis hujuſce medicamenti aſſumptæ, et virtutis ejuſdem ſoporiferæ, paregoricorum ſuprà memoratorum doſes imminuantur; aut ſaltem minùs frequentèr repetantur.

Eximias corticis peruviani modo jàm dicto uſurpati, ad hunc morbum amoliendum vires felici admodùm eventu ſæpiùs exploravi. Hujus enim medicamenti virtute, febrem & alvi fluxum ſanguinolentum auſpicatò tolli, ſpiritus oppreſſos et debilitatos inſtaurari, appetitum proſtratum reſtitui, ſitim & incendium inteſtinum ſedari, tormina ventris cruciantia & inflammatoria demulceri, & inteſtinorum gangrænam ac ſphacelum præcaveri iteratâ experientiâ ſæpiùs obſervavi.

Non enim juvenes tantùm, & in ætatis flore conſtitutos, ſed hos etiam qui infantilem aut puerilem ætatem nondum præter-

greſſi

greſſi ſunt, fæminas paritèr & viros ultra modum enervatos, aliiſque præcedentibus diuturnis morbis, et hoc ipſo diutiùs perſeverante penitùs ferè confectos, imo et ipſâ quidem curvâ ſenectâ oppreſſos, à diriſſimis hujuſce morbi ſymptomatis methodo jàm laudatâ liberatos, & tuto ac felicitèr ad priſtinam ſanitatem reſtitutos eſſe multotiès expertus ſum.

In dyſenteriæ curatione, quandò vigiliæ immodicæ, enormia ventris tormina, dejectiones mucoſæ, ſtercoroſæ, & cruentæ, febris, ſitis, anxietas, inſignis virium proſtratio, lipothymia, viſcerum abdominalium inflammationes, aliaque horrenda, et funeſtum morbi eventum præſagientia ſymptomata ultra modum infeſtarent ; nec ullæ omninò alio quocunque modo induciæ à morbo impetrari poſſent ; efficaciſſimas ſyrupi de meconio ad ſomnum inducendum, quietem humoribus conciliandum, febrem imminuendum, tormina et ventris cruciatus allevandum, fluxum cohibendum, inteſtinum incendium demulcendum, aliaque denique omnia funeſta jàm recenſita ſymptomata averruncandum virtutes, (irritis licet largiſſimis, ſæpiùſque repetitis liquidi & ſolidi laudani doſibus) auſpicatò notavi. Hoc in matronâ quâdam nobili hyſtericâ, dyſenteriâ truculentiſſimâ diuturniori penè confectâ haùd ita pridem, non ſine ſtupore quidem ſingulari expertus ſum ; ſyrupi namque prædicti

ſolius

ſolius ope, (irritis penitùs omnibus aliis quibuſcunque opiatis) fæmina hæc nobilis omni virtutum genere decorata, ab orci faucibus præter multorum expectationem erepta eſt; morbus enim hinc inducias dedit, quouſque medicamenta ad ſublationem cauſæ accommodata, ſufficiente copiâ ingeſta fuiſſent; et ægra, medendi methodo jam traditâ & ſtabilitâ ad priſtinam ſanitatem, citò & felicitèr reſtitueretur.

Innumera profectò è caſibus dyſentericis deploratis, adducere poſſem & ennumerare, in ulteriorem noſtræ methodi confirmationem, curationum inſignium exempla; quæ tamen conſultò omitto, nè in hujuſmodi hiſtoriis particularibus ſæpiùs depingendis, nimiùs cenſear; aut tædium hinc vel moleſtias lectori crearem.

Diarrheæ Curatio.

Quamprimùm ad Diarrhæâ laborantem accerſor, ſi nulla adſint febris aut levioris inflammationis indicia; æger præterea non temperamento ſanguineo præditus, juvenis, aut intra ætatis florem conſtitutus fuerit; nec morbus à nimiâ liquorum ſpirituoſorum ingurgitatione,aut ſuſcepto ſubitò frigore ortum habuerit; emeticum

è rad.

è rad. ipecacoan. conflatum, vorandum præcipio; & paregoricum eâdem nocte horâ ſomni propino.

Mane inſequenti, tinctur. rhabarb. phar. Edinburg. unc. iii. vel iv. adulto ſubminiſtro; et horâ decubitus opiatum præſcribo. Tinctur. rhabarb. (interjecto ſempèr die uno) bis ſaltèm repeto; vel hujus loco, potionem lenem purgantem ſuprà præſcriptam ſubſtituo; et paregoricum ſingulis noctibus, horâ circitèr nonâ hauriendum injungo.

A carnibus quibuſcunque, leguminibus, piſcibus omnigenis, (cancris fluviatilibus exceptis) cereviſiâ, liquore pomaceo, & cæteris ejuſmodi ægrum inhibeo. Juſcula orizata, panatellam, ova ſorbilia, gelatinam C. C. lac cum pane albiſſimo, vel orizâ coctum, & ſimilia in diætam inſtituo. Decoctum album, aut rubicundum, lac cum aquæ triplo, & modicâ quantitate C. C. C. coctum, tincturam roſarum rubrarum, emulſionem arabicam, aut amigdalinam, cum decocto albo paratam in potum ordinarium commendo.

Si tamen febris urgeat; morbus ab immodico vini potu, exercitiis intemperatis, aeris conſtitutione epidemicâ, procreando morbo opportunâ; temperamento ægri ſanguineo, vel plethorico; athletico, elaſtico,

& firmo in Juvenili ætate corporis habitu; frigore ſuſcepto; aut à ſymptomate aliquo inflammatorio præcedente, vel concomitante ortum habeat; aut ſaltèm invadendi anſam arripiat; curatio à phlebotomiâ largâ manu celebratâ ordienda eſt. Nec profectò ineptum erit, in quibuſlibet circumſtantiis (modo tamen ægri vires & ætas ſanguinis jacturam commodè ferre valeant;) venæſectionem emetico & cathartico, ad hunc morbum amoliendum ſubminiſtrandis præmittere; cum talis evacuatio non tantum materiæ morbificæ partem aliquam præcidat, ſanguifera vaſa depleat, humores in inteſtina ruentes revellat, febrem imminuat aut præcaveat, ac inteſtinorum & viſcerum abdominalium inflammationes prævertat; ſed & inſupèr emetici ſubſecuturi, cathartici, & medicamentorum reſtringentium operationi feliciori, viam ſternat utilem & opportunam. Quare mihi ſolenne eſt in omni diarrhæâ, exceptâ tamen iſtâ quæ pueros juniores, infantes, ſenes, hyſterico, aut hypochondriaco morbo vexatos, aut alio quovis modo confectos adoritur, à ſanguinis detractione curationem ordiri; deìn verò ad cætera, modo quo ſuprà innuebam, debito ordine progredi.

Præmiſſis igitur primo loco, (ſi legitimè indicata fuerit) venæſectione opportunâ,

tunâ, deìn emetico, & iterandâ catharſi; ſequentia præſcribo, poſt ultimam catharſin, & diebus etiam, inter ſingulas cathartici medicamenti doſes interjectis, ſedulò uſurpanda.

R. pulp. conſerv. roſar. rubrar. diacydon. a. ſemiunc. terr. japon. gum. arabic. corall. rubr. ppt. ā. drach. ii. bol. armen. ſanguin. dracon. rhabarb. exactiſſimè torrefact. nuc. moſchat. toſt. ſubtiliſſimè trit. ā. drach. i. croc. mart. aſtringent. ſpecier. diaſcord. ſine op. cret. albiſſim. ā. drach. ſs. ol. nuc. moſchat. cinnamom. ā. gutt. i. cum ſ. q. ſyrup. cydon. f. electuar. molle. Capiat Quantitatem nucis moſchatæ ſextâ quâque horâ, ſuperbibendo cochl. ii. decoct. Fracaſtor. aut decoct. contrà diarrhæam cochl. iii. Enema interìm reſtringens ſuprà memoratum, bìs, vel tèr, poſt debita interjecta intervalla, pro re natâ injici debet.

Diarrhæa ſymptomatica morbis acutis ſuperveniens, ſiſtenda eſt decocto albo, rubicundo, decocto *Fracaſtor.* julap. reſtringent. pulveribus teſtaceis ſaturato, diætâ opportunâ, &, ſi nimìs ſæviat; leni pare-

 gorico,

gorico, aut ſimilibus. In hoc autem caſu, vitanda ſunt cathartica, emetica repetita, venæſectio, & opiata præpotentia, ſi talia remedia morbi originalis genio minùs aptè quadrent; quemadmodum in febribus permultis acutis, haùd raró evenire ſolet.

Diarrhæa critica, niſi tamen modum excedat; nullo remedio ſiſti debet.

Diarrhæa colliquativa, rhabarb. torrefact. cum confectione *Fracaſtor.* ſine mel. boli formâ ſubminiſtrato, leni quandoque è rad. ipecacoan. emetico, lenibus opiatis, ſubindè & pro re natâ repetitis, electuario reſtringente prædicto, diætæ aptiſſimæ & liquorum reſtringentium præfatorum uſu, julapiis aſtringentibus cordialibus temperatis, pulveribus teſtaceis, decocto cort. peruvian. cum aliis reſtringentibus ſimplicibus, rad. ſcilicet tormentil. cort. granat. & querc. ſociati, in aq. fontan. repetitis decoctionibus parato, lacteâ quandoque diætâ, enemat. reſtringent. & equitatione in aere aprico ruſticano diù continuatâ felici admodum eventu debellatur.

Vina ſtomachica amara, diætam facilis digeſtionis & boni ſucci, equitationem modicam diurnam, ad plures ſeptimanas continuatam, moram in aere aprico, ruſticano, campeſtri

campeſtri diuturniorem, hilarem animum, ſtudia intermiſſa, immunitatem à curis domeſticis, aliis etiam omnibus quibuſcunque, & à gravioribus animi pathematis, linteamina lecti probè arefacta, ingreſſum in lectum veſpertinum maturum, aquæ ſpadanæ modicum horis matutinis potum, fricationem trunci & extremorum corporis, linteis ſiccis mane & veſperi quotidianam, cautum adverſus frigidi aeris impetum, inſultumque munimentum, & cuſtodiam, ad diarrheæ & dyſenteriæ recidivam præcavendum, plurimùm conferre evidentiſſimè conſtat.

Sectio Tertia.

Caput Primum.

Conſtitutio Epidemica, Annor. 1740, 41, 42, 43.

EXEUNTE anno 1739. acceſſit hyems frigidiſſima, atrociſſimo gelu ad veris uſque tempora perdurante inſignita. Ab horrendo hoc & infando ſicco gelu, non tantum magna peccorum omnium ſtrages, ſed

ſed plantarum, vegetabiliumque quarumlibet miſeranda lues, et calamitoſa putredo ſuboriebantur. Ipſæ namquè cæli volucres, aliaque in diætam humanam accommodata animalia, præ intenſo frigidæ tempeſtatis rigore, denſo agmine periêrunt; &, quod adhùc funeſtorum malorum cumulum multo graviùs adauxit, radices iſtæ tuberoſæ (battata vulgò dictæ) de quibus in præcedentibus ſermonem inſtitui, nutrimentum ferè conſtans & integrum plebeculæ & inferiorum hujus regni incolarum, à diriſſimo hoc & diuturno gelu penitùs putreſcebant.

Hinc funeſta annonæ charitas, & inter pauperes populumque inferiorem immanitèr ſæviens dira fames; hinc putrida plebeculæ alimenta, ex pravis & corruptis iſtis radicibus, aliis pravi ſucci vegetabilibus, & morbidorum animalium cadaveribus conflata.

Hinc complurium morborum acutorum funeſtorum fomes; quibus quidem latiſſimè ſpargendis & propagandis, multum favebat epidemica tunc regnans aeris conſtitutio, à concurſu cauſarum in præfatione memoratarum orta, & ab his paritèr modo enumeratis mirum in modum exacerbata.

Hinc

Hinc denique luctuoſa & terribilis hominum ſtrages, quæ peſtem ipſam in hâc regione olìm graſſantem, quoad demortuorum numerum non æquare tantùm, ſed etiam tranſcendere putatur. Cum annis 1740, & 41, octoginta ad minimùm ægrorum millia, prædictorum malorum occaſione interiiſſe crediderim ipſe, & à pluribus perſpicaciſſimis viris, ad fatalem hunc eventum feriò attendentibus, obſervatum noverim.

Ver dictam jam hyemem immediatè ſubſequens, ſiccum erat, & aquilonium; æſtas paritèr ſuccedens arida fuit, & ſubcalida; autumnus item nullo madore perfundebatur. Hyems verò hunc proximè excipiens, gelida, ſicca, et intenſè frigida duravit; ver proximum, aridum, et aquilonium erat. Eſtas an. 1741, calida admodum ſed minùs humida obſervata eſt. Verbo dicam, biennium integrum primam illam frigidiſſimam hyemem excipiens, rarioribus madebat imbribus, et orientalibus ac ſeptentrionalibus flatibus citra conſuetum Inſulæ morem, frequentiſſimè ventilatum fuit.

Menſe aprili an. 1740, exeunte memorabili iſta glaciali brumá, ſæviebant pleuritides, anginæ, peripneumoniæ, ophtalmiæ, et alii complures morbi inflammatorii. Invadebant

Invadebant inſupèr variolæ peſſimi moris epidemicæ, popularitèr graſſantes. Hæ ſensìm increbreſcentes, menſe julio ad ſummum vigoris apicem & popularitatis gradum aſcendebant; à quo tempore gradatìm declinantes, circa æquinoctium autumnale rariùs viſæ ſunt.

Menſe circitèr auguſto, vel paulò maturiùs, emicabant diarrhæa torminoſa, & dyſenteria epidemica: quæ ſensìm per totum autumnum augeſcentes, magnam incredibilemque per totam inſequentem hyemem ſtragem ediderunt. Exeunte auguſto in conſpectum venit febris quædam epidemica continua, quæ in quibuſdam locis per integrum autumnum, inter inferiorem præcipuè plebem immanitèr ſæviebat, et ad ſolſtitium uſquè aut circitèr hybernum, plures impetendo epidemicè graſſabatur. Advenientibus verò tunc temporis atrociori gelu, et frigore ſatìs intenſo, febris hæc dyſenteriæ jam recèns inſtauratis viribus auctæ locum ceſſit; donec ſoluto tandem gelu, et accedente ſecundâ vice ſicco et aquilonio vere, febris eadem continua iterùm repullularet, et latiùs ſparſa omnem ferè populum indiſcriminatìm adoriretur; dyſenteriæ, aliorumque omnium epidemicorum

corum eodem tempore prædominio gaudens. Hæc cum ab æſtatis ſupervenientis adventitio calore extra modum diffunderetur, in eodem popularitatis gradu ad Auguſti circiter exitum perduravit: a quo tempore ſenſim gradum reducens, hyeme inſequente tantum non diſparuit; pauciores ſolummodò ſubindè invadens.

Anno vero 1742, (vere frigido, & aquilonio accedente) morbi inflammatorii, pleurides, v. g. Anginæ, & peripneumoniæ ſupervenerunt; hoc ipſo tempore, ſicut etiam æſtate ſubſequente, febris continua prædicta regreſſa eſt. Sed reſpectu habito, ad præ-greſſum annum, pauciores tantum invaſit, et adveniente hyeme penitus diſparuit. Cum vero iſta hyems lenis admodum fuiſſet, & ſubhumida; ver autem frigidum et aquilonium ſubſecutum ſit; morbi inflammatorii circa æquinoctium vernale frequentèr admodum regnabant. Maio quoque, et junio inſequentibus, cum ver ultra conſuetum morem riguiſſet; et inuſitatum hoc gelidumque frigus, ad julium uſque, aut junii exitum protractum fuiſſet; tuſſes epidemicæ popularitèr graſſabantur, ſymptomatis peripneumonicis permultis ſtipatæ.

Veriſimile mihi videtur, frigidiſſimam illam memoratam hyemem, cum tempeſ-

tate per biennium inſequens ſiccâ, et aquilonari perdurante, magnam ſolidis et fluidis humani corporis firmitatem, inſolitum robur, & nimìs intentum elaterem induxiſſe, quæ omnia morbis inflammatoriis procreandis, et fovendis, aptiſſima obſervantur. Laxatæ enim et præter modum flaccidæ, váſorum minimorum fibrillæ, à ſicco et frigido aere intenduntur, et contrahuntur. Quia vibratis, et ritè ventilatis, ab hoc gravi, et elaſtico fluido, componentibus ſolidi machinulis, ab eodem potentiùs forſan et faciliùs, quam vel ab exercitio, aut repetitâ in aquam frigidam immerſione, intentis robore, firmitate, et elatere, donatur harum mira, et mechanica compages. Imminutâ quoque inſuper ab atroci gelu, et aquilonari flatu, inſenſibili perſpiratione; à retentâ hâc materiâ, plethorica et turgeſcens maſſæ ſanguineæ in vaſis moles, et hinc aucta à miaſmate aereo contagioſo humorum phlogoſis, adaugentur. Unde mirum profecto non eſt, à tanto cauſarum evidentium concurſu, una cum aſſumptis corruptis, et pravi ſucci alimentis, et anni præterea tempeſtate ver inter et æſtatem ambigente, non tantum plures morbos ſporadicos inflammatorios, ſed etiam epidemicos varios, in inflammatoriorum claſſem reducendos eo tempore invaſiſſe; et durante prædicta aeris conſtitutione, prævaluiſſe.

Ad

Ad hanc noſtram ſententiam ulteriùs confirmandam, haùd parum confert clariſſimi *Sydenhamii* obſervatio ; quâ patet pleuritides, peripneumonias, anginas, alioſque ejuſmodi morbos inflammatorios anno 1665, prægreſſâ hyeme frigidiſſimâ, et ſicco gelu ad veris uſque tempora perdurante, magnam derepentè ſtragem edidiſſe, quo etiam ipſo tempore caput extulit febris epidemica peſtilentialis, et ſurgente anno, ipſa peſtis, magno ſymptomatum pathognomonicorum numero ſtipata ; quam quidem peſtilentialem febrem, complures paritèr inflamatorios morbos, per octo vel novem ſuccedentes annos excepiſſe, obſervavit.

Confirmatur paritér magni *Hippocratis* authoritate, qui frigidam et ſiccam aeris qualitatem, morbis inflammatoriis generandis aptiſſimam eſſe, multis in locis, præſertìm Lib. de aere, aquis, et locis, et in aphoriſmis notavit.

Variolæ, quæ durante hâc conſtitutione, præcipuè verò anno 1740 graſſabantur, confluentes, crudæ, & anomalæ ut plurimum fuerant ; aut ſaltèm diſcretæ, irregulares, et anomalæ ; cum petechiis purpureis, rubris, luridis, quandoque et nigris, in puſtularum interſtitiis, interjectis. Diſcretæ regulares, et cohærentes minùs crudæ, nonnunquam, ſed

rariùs obſervabantur. Infantes ut plurimum, et pueros infra decennem ætatem conſtitutos adoriebantur ; quorum immenſum et incredibilem ferè numerum letho dederunt : ita ut pauci quidem varioloſi infantes, ſi ad numerum horum, qui à truculentiſſimo hoc morbo (in urbe præſertìm) eo anno confecti ſunt, reſpectus habeatur ; diriſſimi hujuſce hoſtis tyrannidem evaſerint.

Cum autem nihil peculiare, aut notatu dignum, in harum variolarum curatione, aut medendi methodo his debellandis accomodatâ, occurrerit ; quod in aliarum conſtitutionum variolis crudioribus deſcribendis, non fuerit ſuperiùs obſervatum : ne repetitionum moleſtiâ, tædium lectori crearem ; de his plura jàm dicere ſuperſedeo. Id tantum obſervare licet, quod ſingularis hujus morbi malignitas, aut ſævitia, non ultra primam illam quâ graſſabantur variolæ, æſtatem perduraverit ; neque adultos, aut ſupra infantilem ætatem conſtitutos, tam frequentèr, ac ipſos infantes juniores, vel eâ ipſâ tempeſtate trucidaverint.

Caput Secundum.

De Febre Epidemicâ Continuâ.

Annor. 1740, 41, 42.

RIGOR et horripilatio ſæpiùs, et ſine ordine recurrentes, ad aliquot, nunc plures, nunc pauciores poſt primum inſultum dies, ægrum adoriuntur. Durante hoc tempore, calor lenis, inconſtans, et in horripilationum intervallis ſæpè recurrens, gravedo inſolita, et univerſalis, inappetentia, hebetudo, virium languor inſolitus, dolor ſæpè capitis vertiginoſus, gravativus, aut comatoſus, nauſea, et rheumatiſmum nonnunquam, aut lumbaginem æmulantes dolores, tuſſis aliquandò, et inter tuſſiendum capitis dolor moleſtus, urina rubra, vel turbida, lingua humida, alba, et viſcida, eundem diſcruciant.

Symptomata hæc omnia, per primos morbi dies, unà cum reſpiratione quodammodò moleſtâ, et debito citiori, mitiùs urgent; ita ut æger per plures à primâ invaſione dies, ſe nec febrire, nec gravitèr ægrotare credat; ſed prædicta omnia ſymptomata, vel à ſuſcepto frigore, vel à leviori aliquo, in ſex rerum

rerum non naturalium uſu, commiſſo errore, orta ſuſpicans, non niſi procedente morbi incremento, et ingraveſcentibus ſymptomatis, medicum quandoque advocaret; undè et primis morbi diebus, leviſſimam quandoque aut nullam de dolore capitis querelam agnoſcens, de gravitate tantùm ejuſdem vertiginoſâ, aut comatoſâ, adſtantes moneret.

Poſt quinque ut plurimùm vel ſex elapſos dies, aliquandò et ſeriùs, ſymptomata omnia exacerbantur; et morbi incrementum cum pulſu celeri, duro, et magno in multis; in aliis, celeri et parvo; in quibuſdam verò, à ſanorum pulſibus haùd multùm abludente; linguâ ſiccâ, et aridâ; hypochondriorum tumore tenſivo, et ſæpè inæquali; præcordiorum æſtu, et dolore; vigiliis pertinacibus; delirio; phrenitide horrenda; hæmorrhagiâ narium profuſâ ſæpiùs recurrente; (uſitatiſſimo in hâc febre ſymptomate) comatoſis vel lethargicis quandoque ſoporibus; effloreſcentiâ in corporis trunco et artubus, (æſtivo præcipuè tempore, et regimine calidiori prægreſſo,) quaſi morbilloſâ; ſudoribus ſymptomaticis non levantibus; reſpiratione ſæpè difficili, citâ, et laborioſâ; ſubſultibus tendinum et motibus convulſivis ſociatum; progreditur.

In

In pleriſque petechiæ rubræ efflorefcentiam morbilloſam æmulantes; in aliis purpureæ; in quibuſdam verò luridæ, et nigræ; in collo, dorſo, trunco, et artubus, nonnunquam in conſpectum venerunt.

In ſexagenario quodam hâc febre decumbente obſervâvi, die febris circitèr undecimo, quo meam opem primò implorabat; truncum, & artus, diverſæ magnitudinis maculis nigerrimo colore imbutis, circumquaque interſtingui; quarum nonnullæ, palmam manus magnitudine æquabant. Huic in morbi principio, ſanguis liberali manu ter quatervè detractus fuit. Stupidus interim, lethargicus, delirioſus, omni ferè ſenſu, et memoriâ deſtitutus, per plures, antequam advocatus fuiſſem, dies, ſicut et in ipſo etiam mei adventus inſtanti, decubuit; ſubſultibus inſupèr tendinum, reſpiratione penitùs difficili, et laborioſâ, ſingultu, motibus convulſivis atrociſſimis, aliiſque praviſſimis ſymptomatis vexatus. Præmiſſo ſtatìm fatali prognoſtico; memet ſubduxi. Obiit verò poſt diem unum, vel alterum.

A regimine nimiùm calefaciente, et multiplici veſicatoriorum applicatione, deliria phrenetica, ſubſultus tendinum atrociſſimos, convulſiones, vigilias pertinaces, præcordiorum æſtus et dolores, hypochondriorum, et veſicæ urinariæ tenſiones inflammatorias, hæmor-

hæmorrhagias narium profuſas, et ſphacelationes viſcerum lethales, huic febri acceſſiſſe obſervavi.

A repetitâ ſæpiùs in hoc morbo phlebotomiâ, et uberiori hinc ſanguinis factâ jacturâ, frequentiori enematum injectione, et aliâ methodo antiphlogiſticâ temerè nimìs, et citrà rationem prægreſſâ, reſpirationem difficilem, citam, et laborioſam; delirium immane, comatoſum, aut phreneticum; ſubſultus tendinum, ſingultum, et motus convulſivos; lipothymiam; pulſum ultrâ modum celerem, parvum, depreſſum, et intermittentem; morbum diuturniorem et longiùs protractum; lethargicos ſopores; naturam morbo ſuccumbentem; diù durantem materiæ morbificæ cruditatem; ſudores frigidos; et mortem quandoque ipſam ſuperveniſſe, aut ſaltèm ægri vitam, non ſine alexipharmacis potentiſſimis magnâ copiâ ingeſtis, et veſicatoriis numeroſis (cæteroquin prorsùs ſupervacaneis) ſucceſſivè applicatis, poſt gravem moleſtamque diuturnitatem, ægerrimè tantum, et fortuito prorsùs eventu redemptam aliquandò notavi.

Quamvis enim febrem hanc epidemicam, genii eſſe inflammatorii, ob varias jam afferendas rationes minime dubitarem; repetitâ tamen edoctus experientiâ pro certo habeo

habeo, iteratam ſæpiùs phlebotomiam, à quibuſdam frigidi nimiùm regiminis patronis eo nomine inſtitutam, ut maſſæ ſanguineæ ſcilicet inflammatio, hujuſce febris, ut aiunt, cauſa unica tollatur, haùd adeò felicitèr ceſſiſſe; cum probè noverim, poſt repetitam ſæpiùs ſanguinis miſſionem, morbum vel tardiorem ſaltèm, et magìs dubiam, aut infidam coctionem admiſiſſe; vel denique (quod haùd ſemèl contigit) anomalorum et funeſtorum indè accerſito ſymptomatum agmine ſtipatum, in morte ægri terminaviſſe.

Hi itaque commentitii hujuſce ſyſtematis conditores, in animum deberent feriò revocare ſuum, cauſas hujus morbi procatharticas, frigidiſſimam ſcilicet gelidamque hyemem, putrida et pravi ſucci alimenta, aliaque omnia prædicta, ab imminutâ hinc perſpiratione, et ſolidorum rigiditate auctâ, plethoram inducentia, non tantùm inflammatoriam ſanguini diatheſin, ſed quandam inſupèr humoribus, putredinis labem eodem nomine communicâſſe; quæ quidem humorum putredo inflammatoria morbi cauſam conſtituens, non à ſolo lanceolæ cuſpide, ſed à naturâ præcipuè providâ, et triumphante, per febrem, ſolennem nempè ipſius machinam regenda eſt, ac coquenda; et per vias maximè opportunas et accommodatas eliminanda.

Quantâ verò temeritate febrem, præcipuam in hâc putredine ſubigendâ, et amovendâ, naturæ machinam, nimiâ ſanguinis jacturâ, aut detractione, præproperè ſufflaminare ſatagant; declarat rerum eventus, qui naturam (febre prematurè depreſſâ,) crudâ adhùc perſeverante, et victrice morbi materiâ) à præpoſterâ illâ methodo penitùs evictam, et triumphatam pluriès agnovit.

Præcipua tamen, quæ febrem hanc peculiaris cujuſdam inflammationis fuiſſe participem, evincunt argumenta; ſunt 1°, Quia aeris qualitates ſenſibiles, regnantem tunc conſtitutionem antecedentes, et concomitantes, morbis inflammatoriis generandis aptiſſimæ cenſentur. 2°, Quià anni tempus vernale fuit, quo febris prædicta primò caput extulit; et quod prætereà magna aliorum morborum inflammatoriorum cohors eodem tempore ſupervenerit. 3°, Quià genuina febris ſymptomata, laſſitudo ſcilicet ulceroſa, pulſus ſæpè durus, delirium, phrenitis, rheumatici dolores, profuſa et ſæpè recurrens narium hæmorrhagia, detracti ſanguinis ſuperficies ſeù pellicula alba, pleuritici ſanguinis colorem æmulans, præcordiorum æſtus et dolor, aliaque permulta, inflammationem ſanguinis et viſcerum aliqualem ſaltèm certò denotaverint. 4to, Quià experientiâ

rientiâ quotidianâ conſtabat, ægros præ delirio phrenetico furentes, qui è lecto invitis nutricibus nudi ſurrexerunt, et ſe liberiori auræ expoſuerunt; (nullo omninò indè damno recepto,) à phrenitide tamen iſtâ horrendâ, hoc fortuito caſu, haùd parùm ſublevatos fuiſſe. 5to, Quod pauperes eâdem febre decumbentes phrenetici facti, aquæ communis liberaliori potu, abſque vel minimo regiminis, aut remediorum apparatu, à phrenitide, et febre liberati, frequentèr evaſerint. 6to, Quià hæmorrhagia narium ſæpè recurrens, uſitatiſſimum hujus morbi ſymptoma, à regimine calidiori ſempèr exacerbata fuiſſet. 7°, Quòd felix admodùm præ aliis febribus, hìc obſervaretur paregoricorum uſus, non tantùm ad quietem humoribus conciliandum, et delirium ac phrenitidem ſubigendum, ſed etiam ad materiæ morbificæ coctionem accelerandum, aliaque permulta ſymptomata moleſta averruncandum. 8°, Quòd veſicatoria ſæpius repetita, utut præmittantur venæſectio opportuna, emeticum, et repetitus clyſterum emollientium uſus, non ita felices, ac in aliis ut plurimùm febribus, produxerint effectus; cum ab eorum frequentiori applicatione, deliria horrenda, phrenitides, ſubſultus tendinum, hæmorrhagias profuſas, motus convulſivos varios, vigilias pertinaces, et lethales viſcerum inflammationes, (ſi his inſupèr præcipuè accedat internus me-

 dicamentorum

dicamentorum cardiacorum, et excalefacientium liberalior uſus,) ſupervenire haùd rarò obſervatum fuerit. 9°, Quià à ſolo temperato regimine inſtituto, unà cum julapii alicujus temperati, aut pulveris cujuſdam lenitèr diaphoretici modicâ doſe, quartâ vel ſextâ quâque horâ repetendâ, et ſeri lactis canarini limpidiſſimi hauſtu ſubindè conceſſo, ad ægrum ſtatis horis, et prout opus fuerit, refocillandum; abſque ulteriori remediorum apparatu, febrem hanc tutò et felicitèr ſublatam quandoque obſervaverim. Ultimò, quod felix inſupèr pediluviorum, fomentationum, et clyſterum emollientium in hâc febre uſus, hanc noſtram ſententiam ulteriùs confirmare videretur. His itaque omnibus circumſtantiis, argumentis, et rationibus, ſeriò perpenſis, medendi methodum in modum ſequentem inſtitui.

Curatio.

In morbi initio accerſitus, ſi æger infantilem ætatem prætergrediatur, ſenilem verò nondum attingat; nec præcedenti aliquo morbo, aut alio quocunque modo attritus fuiſſet; ſanguinis uncias decem ſtatìm detrahi præcipio; juxta illud *Hipp. L. de victus ratione in morbis acutis*; *ubi ſic habet. Verum in acutis morbis venam ſecabis,*

ſi

ſi vehemens appareat morbus; et qui ipſum habeant, in vigoris ætate fuerint; *et robur ipſis affuerit.*

Eodem veſperi, ſi alvus minùs ſoluta ſit; enema emolliens injiciendum ſuadeo, et rejecto enemate, pedes et tibias aquâ calidâ lavari curo. Die inſequenti, ſi nauſea adſit, lene emeticum totiès memoratum et mihi familiare deglutiendum præſcribo; *juxta illud Hipp.* ubi de febre ardente agens, ſic pergit. *Si amarum fuerit os; vomere conducit, et ventrem per clyſterem ſubluere.*

His præmiſſis; ſi nulla adſit in ſtuporem, aut comatoſum affectum propenſio; ſed è contrà inquietudo et vigiliæ ſæviant; ad quietem inducendum, et orgaſmum humorum ab emetico quadantenùs excitatum compeſcendum; (abſolutâ priùs vomitorii operatione) lene opiatum, quale in præcedentibus pagellis memoratum fuit, horâ nonâ veſpertinâ hauriendum volo.

Poſtridiè, liquores ſubacidos jàm ſæpiùs prædictos, mihi in febrium tractatione familiares, ad ſanguinem ritè diluendum et contemperandum, calidiuſculè et partitis vicibus in potum ordinarium ſubminiſtro. Emulſiones paritèr amigdalinas, et è ſeminibus frigidis compoſitas, ſtatis horis, et oppor-

tunâ

tunâ quantitate, ad eandem indicationem explendam exhibere ſoleo. Julapii interìm alicujus temperati cochl. ii. vel iii. ad refocillandum ægrum, ſextâ vel quartâ quâque horâ propino. Nitrum purificatum, et ſal. prunel. mediocri copiâ, in julapiis et potu ordinario diſſolvenda præcipio.

Si autem diarrhæa morbo adhùc crudo ſuperveniat ſymptomatica; (omiſſis liquoribus ſubacidis,) horum loco, decoctum album, tinctura roſarum, aut emulſio amigdalina, cum decocto C. C. C. parata, in potum ordinarium ſubſtituuntur.

Balnea tepida, pediluvia, vapores aquæ calidæ, in os, nares, et gulam receptos, et fotus emollientes, in primarum viarum cachochiliâ toti abdomini, ante enematis cujuſlibet emollientis injectionem, applicandos frequentèr ſubminiſtrare convenit.

Imminentibus delirio, aut phrenitide immani, capitis dolore acuto, vigiliis pertinacibus, vel hæmorrhagiâ narium profuſâ; non tantùm prædicta legitimè indicantur remedia, ſed ſuppedanea inſupèr acria, aut cataplaſmata emollientia, ad pedes et pedum plantas admota, et ſaphænæ aut venæ jugularis ſectio, utilia quidem et neceſſaria ſæpiùs obſervata ſunt.

Nec

Nec reticendum prætereà videtur, in jàm dictis hujuſce morbi circumſtantiis, ſalutares ſpiritus vitrioli effectus quandoque prælucere; ſive in aquâ hordei, ſero lactis limpidiſſimo, aut aquâ purâ, in quâ panis toſtus maceratus fuerit, ad gratam aciditatem ſubindè inſtilletur; ſivè deniquè in julapiis cordialibus temperatis, ſtatis horis, ſæviente præter modum febrili incendio, in juvenili ætate, nullâ inſigni ſanguinis jacturâ, aut immodico enematum uſu mulctatâ, inſtillatus exhibeatur; juxta *Hipp.* qui in febre ardente, et aquam, et aquam mulſam, coctam, quantùm voluerit, ægro bibendam dare præcipit.

Diæta in hâc febre opportuna, juſcula erant avenacea, hordeacea, panatella, aurantiorum ſucco acidulata, et ſaccharo albiſſimo edulcorata; quibus, in magno virium languore, ſub morbi præcipuè ſtatum, et declinationem, cochl. aliquot vini canarini adjiciuntur. Serum lactis canarinum aquâ dilutum, cum ſucco aurantiorum ad gratam aciditatem commixtum, modicâ quantitate, et ſtatis horis, ad ſpiritus oppreſſos refocillandum, miniſtrabatur, ſi debiles præcipuè, ſenes, hyſterici, hypochondriaci, aut in puerili ætate conſtituti fuiſſent ægri; et in hoc caſu, ſerum illud, liberaliori manu (appro-

pinquante

pinquante ſaltèm ad criſin morbo) propinatur. Hoc præ occulis intereà ſempèr haberi volo, ut maſſæ ſanguineæ fermentatio, et progreſſivus motus, nec nimis præproperè, vel ante debitam materiæ febrilis coctionem torpeſcant; nec præter modum evehantur è contrà, aut excandeſcant; ſed ut medio quodam ordine, aut tenore procedant, legitimis naturæ motibus, et conatibus accommodato.

Decumbere igitur debet æger in domo obſcurâ, et in ſtratis quam molliſſimis reclinatus eſſe, ita ut multo tempore decubitum in eodem loco toleret, et quam minimùm ſe jactet.

Si præcordium doloroſum fuerit, aut elevatum,aut obliquitatem aliquam habuerit, aut ſatietatem; aut lateris dolor affuerit, et unà cum dolore tuſſicula, aut tormen, aut ventris dolor: cum horum quid fuerit in præcordio; alvum maximè infuſis per clyſterem ſolvere oportet. Bibat autem aquam mulſam calidam, coctam, *Hipp. Lib. de vict. ratione in morb. acut.*

Si verò nec enemata emollientia injecta, nec balneationes, ſuppedanea acria, pedilu-

via,

via, venæ jugularis, aut ſaphænæ ſectio, nec alia quoque methodus antiphlogiſtica prædicta, horrendam huic febri ſuperveni-entem phrenitidem, aut vigilias pertinaces reprimere valeant; (quæ omnia irrita ſæpè fuiſſe, & ad hæc funeſta ſymptomata debellandum, imparia haùd rarò obſer-vavi;) nihil mihi in hâc rerum anguſtiâ feliciùs experiri contigit, quàm paregoricum opportunâ doſe, ſymptomatum exigentiæ proportionatâ, ſine morâ exhibitum. Hujus namque medicamenti virtute, non tantùm vigilias pertinaces, delirium immane, phre-nitidem horrendam, et convulſivos conco-mitantes motus, intra ſeptem aut octo horarum ſpatium felicitèr et præter ſpem ferè omnem abolita eſſe; ſed poſt placidum etiam ſomnum ad prædictarum horarum terminum con-tinuatum, pulſum inſupèr ex vacillante et formicante in fortem ac regularem tranſ-mutatum, plenum rationis et memoriæ uſum reſtauratum, anxiam et inquietam jactati-onem amotam, et luculenta debitæ coctionis ſigna in urinâ apparuiſſe; ægrumque poſt paucos abhinc dies à febre & gravioribus prædictis omnibus ſymptomatis immunem, ad priſtinam ſa-nitatem citò reſtitutum pluriès notavi.

Obſervandum autem eſt, me memoratum paregoricum nunquam propinaſſe; donec

non ſolùm enemata, venæſectionem, pediluvia, internum diluentium et contemperantium liquorum uſum liberalem; verum etiam veſicatoria ad plures humani corporis partes applicata, funeſtis hiſce præfatis ſymptomatis debellandis imparia prorsùs eſſe præcognoviſſem; niſi tamen æger juvenis admodum fuiſſet, et ſymptomatis inflammatoriis evidentiſſimis ſtipatus; quo in caſu, paregoricum vel omiſſis penitùs veſicatoriis, vel eo præciſè veſperi, quo hæc eadem applicantur, cum felici admodum ſucceſſu propinavi. Ubi tamen nullum adfuit manifeſtæ inflammationis criterium, et æger ætatis florem prætergreſſus fuiſſet; aut ab opiatis exhibendis me penitùs cohibui; aut ſaltem non niſi irritis veſicatoriis aliiſque omnibus remediis hæc eadem ſubminiſtravi.

Notari quoque debet, quòd temperamentis pituitoſis, hyſterico, vel hypochondriaco morbo vexatis; ſtudio immodico, vitæ ſedentariæ, domeſticis curis, aut mærori nimiùm indulgentibus; (qui à primâ morbi invaſione pulſum habuerant mollem, depreſſum, aut ad ſanorum pulſum propiùs accedentem, et qui præcipuè carnoſi fuerant,) veſicatoria magìs profuiſſent; aut minorem ſaltem in hâc febre noxam intuliſſent. Comatoſis paritèr et lethargicis affectibus

affectibus in hâc febre vexatis, et his, qui repetitâ ſæpiùs ſanguinis miſſione aut aliis evacuationibus citrà rationem mulctati ſunt, veſicatoriorum uſus proficuus obſervabatur. Temperamentis autem ſanguineis, ætatis florem nondum prætergreſſis, exercitiis vehementioribus et vini liberaliori potu calefactis, macilentis, fibrâ rigidâ et elaſticâ donatis, aut ſenioribus, veſicatoriorum in hâc febre applicationem non tantùm inutilem et ſupervacaneam, ſed noxiam profectò vel pernicioſam pluriès expertus ſum. Quantumvis autem in certis quibuſdam caſibus modò memoratis legitimè indicarentur, et ſæpè etiam profuiſſent epiſpaſtica ; ſempèr tamen notari velim eadem non tam univerſalitèr, aut tutò in hâc febre uſurpanda eſſe, quàm in aliarum olìm conſtitutionum febribus, cum optato eventu applicata fuiſſe obſervaverim.

Immani delirio, et vigiliâ pertinaci, aut phrenitide horrendâ urgentibus, quando applicantur in hâc febre veſicatoria ; ſi eodem tempore propinetur narcoticum ; eo multo feliciorem cantharidum effectum ſæpiùs expertus ſum : quià ſtimuli irritantis vis, hoc modo quadantenùs infirmatur ; & orgaſmus humorum à ſale acri ſtimulante epiſpaſtico excitatus, hypnotici virtute demulcetur.

In ſtatu morbi, et ſub declinationem, apparentibus præcipuè coctionis ſignis, cochl. ii. vel iii. julap. cordial. ſuprà memorati, aut hauſtum ſeri lactis canarini, quartâ vel ſextâ quâque horâ ægro exhibere ſolebam. Pro re etiam natâ, gr. xv. aut xx. pulver. cordial. è lap. contrayerv. &c. ſuperiùs præſcript. diſſolut. in unc. ii. ſeri lactis canarini ſtatis horis ſumenda curavi; cui quidem pulveri grana aliquot camphoræ pro pulſus languore, & malignitatis morbi ratione, poſt repetita præſertìm perperàm evacuantia quandoque adjicienda imperavi.

Ad extremum ſpirituum languorem, & tendinum ſubſultus in caſibus deploratis (nimiâ ſanguinis jacturâ, & aliis evacuationibus præcedentibus) ſublevandum, tinctur. virginian. ſpirit. vol. C. C. ſal. vol. oleoſ. aut lavendul. compoſ. repetitæ doſes, in julapio aliquo cordiali accommodato inſtillatæ, mihi in hoc morbo præ aliis quibuſcunque medicamentis auſpicatò ceſſerunt.

Cardiaca mitiora cum nitratis commixta in morbi initio, et incremento; circa morbi criſin, et apparentibus coctionis ſignis; plùs minùs pro ægri viribus & febris vehementiâ activa, liberaliori manu annuere non dubitavi.

Diætam

Diætam in principio et incremento morbi tenuiorem, ac magìs parcam; declinante autem febre, generoſiorem & magìs reficientem miniſtravi; juxta *Hipp.* monitum, qui nec alimenta, nec medicamenta, in febrium exacerbationibus ægro exhibenda ſuadet: Sed ubi deſinunt; aut quieverunt. Et in tempore judicationis febrium, ſorbitiones detrahere præcipit.

Circà morbi ſtatum, ab enematum repetito uſu ſempèr abſtinere præcipio; (niſi ſæviſſima aliqua exorta ſymptomata contrarium indicent;) nè ab officioſâ hâc nimìs ſedulitate, natura hoc tempore proprio operi diligentiùs incumbens, ab eodem perficiendo temerè divertatur. Juxta *Hipp.* præceptum, qui ſic habet. Denſari verò oportet alvi egeſtionem, morbo ad judicationem tendente. Sit autem ſubfulva: et non valdè graveolens.

Poſt febris diſceſſum, poſtquam æger diætæ magìs reficientis ope vires quodammodò recuperaverit; morbi reliquias, debitis catharticis poſt legitima intervalla repetendis, per alvum deturbandas ſedulò præcepi; ægroque ſensìm ad diætam priſtinam revertere permiſi.

Quamvìs

Quamvìs repetitâ experientiâ compertum habeam, paregoricum modo quo jàm innuebam in hâc febre propinatum, feliciſſimos vel in ipſo morbi incremento ſæpè produxiſſe effectus; et, ad delirium phreneticum vigiliis pertinacibus, aliiſque funeſtis ſymptomatis ſtipatum ſubjugandum, omnibus aliis quibuſcunque remediis palmam ſæpè præripuiſſe; non is ſum tamen, qui tale medicamentum in aliarum conſtitutionum febribus, genii forſàn, à febre de quâ jàm agitur, planè diverſi, aut præciperem; aut annuerem. Cum in febribus plùs minùs inflammatoriis, præfati remedii efficaciam præ aliis acutis expertus fuiſſem; modò tamen legitimè indicatum fuerit; nec ultrà quàm par eſt, repetatur.

Mihi ſolenne erat, præmiſſâ unâ leni ſub morbi finem potione catharticâ, tincturæ corticis peruviani in aquâ, aut vino, pro circumſtantiarum varietate paratæ, uncias duas quartâ vel ſextâ quâque horâ, in purgationum intervallis, et etiam per duos treſve ab ultimâ purgatione abſolutâ dies, exhibere; ut hinc debita alimentorum concoctio promoveatur; ſyſtema nervoſum refocilletur; colliquatio humorum præpediatur; febris recidiva præcaveatur; et

et convaleſcentis vires citiùs reſtaurentur. Quæ omnia à prædicto corticis polychreſti uſu, pro votis effecta fuiſſe multiplici experientiâ edocebar.

Quibus in principio urinæ nebuloſæ, aut etiam craſſæ ſunt ; Tales depurgare oportet ; ſi etiàm alia contulerint. Quibus verò in principio urinæ tenues ſunt ; tales nè purgato. Sed ſi viſum fuerit ; infuſum per clyſterem adhibeto. Medicamenta autem his nè exhibeto. Si enim quid circà ventrem commoveris, urina non concoquitur, ſed abſque ſudore, & judicatione, febris ad multum tempus durabit. Hæc præcepta, in febrium acutarum tractatione utiliſſima quidem, & ſalutaria obſervantur.

Nigra alvi egeſtio mortem ſignificat. Quæ verò ſani hominis egeſtioni ſimilis eſt, ſi per omnes dies apparuerit, ſalutare ſignum eſt.

Si quidem febre acutâ laborantes, ab initio medicamentis purgare volueris ; ante quintum diem id facito, ſi venter murmurarit. Sin minùs, impurgatos ſinito. Hipp. lib. de vict. rat. in morb. acut.

Sudores enìm optimi ſunt, et celerrimè febrem ſedant, qui in judicatoriis diebus fiunt, et febrem perfectè ſubmovent. Boni

quoque

quoque ſunt, qui per totum corpus oborientes, morbum faciliùs ferre faciunt. Qui verò nihil horum faciunt, incommodi ſunt. Hæc omnia vera eſſe, repetita me docuerunt experimenta.

Urina autem optima eſt, quæ habet albiſſimam ſubſidentiam, et levem, ac æqualem per totum tempus, donec judicatus fuerit morbus, ſignificat enìm ſecurum ac brevem fore morbum. hoc ſæpiùs notavi.

His qui breviſſimo tempore ſani evadent, omnia maxima ſigna fiunt. Nam magìs ſine dolore degunt, et extrà periculum, et noctu dormiunt, et alia ſigna ſecura præ ſe ferunt. Hoc licet ſæpè verum ſit; non ideò tamen de recuperandâ horum ſanitate dubitandum eſt, quibus iſta maxima ſigna non competunt.

Febres judicantur in iiſdem numero diebus, ex quibus et ſuperſtites evadunt homines, et ex quibus pereunt. Etenìm placidiſſimæ febres, et ſignis ſecuriſſimis contingentes, quarto die deſinunt, aut priùs. Lethaliſſimæ verò, et ſignis horrendiſſimis contingentes, quarto die, aut priùs occidunt. Hoc idem, in quibuſdam caſibus verum expertus ſum.

In febribus ardentibus, ſi poſterius ſeptimo die morbus regius accedat; indicium eſt ſublati ſudoris. Nam morbus non ſolet exudare, neque uſquam alibi abſceſſum facere, ſed ſanus ſit. Hipp. lib. de judicationibus. Præfatum ſignum in praxi ſalutare eſſe, pluriès obſervatum eſt.

Coctiones urinarum paulatìm matureſcentes, ſi in judicatoriis diebus concoctæ fuerint, morbum ſolvunt. Has coctiones cum aliis ſalutaribus ſignis, præcipuè verò cum ſymptomatum febrilium remiſſione, et decremento ſociatas, morbi ſolutionem deſignaſſe frequentiſſimè obſervavi.

In vehementèr phreneticis, tremores lethales ſunt. Deliria circà neceſſaria peſſima. Hæc in praxi frequentèr vera notavi.

Morbus regius ante ſeptimum diem accedens, malum. Septimo verò ac nono, et undecimo ac decimo quarto, judicatorius eſt, ſi non præcordia induret: ſin minùs, ambigua res eſt. Hipp. coac. prænot. Hoc in praxi ſæpè manifeſtum fit.

Si febricitanti ſudor accedat, febre non deficiente, malum. Sudor enim talis, tanquam ſymptomaticus habendus eſt.

Frigidi ſudores, cum acutâ febre, lethales ſunt: cum non acutâ, verò, longitudinem morbi ſignificant. Hujus veritas, ſi præcipuè circà faciem, collum, aut claviculam, tales appareant; obſervationibus practicis ſæpiùs confirmatur.

In febribus, ſi mutationes habeat urina, diuturnitatem temporis ſignificat, et neceſſè eſt ægrotum mutari, et ad deteriora, et ad alteram partem. Hoc in febrium tractatione multotiès obſervavi.

Multum et repentè evacuare, aut replere, et calefacere, aut frigefacere, aut omninò quocunque corpus movere, periculoſum eſt. Et omnis multitudo naturæ contraria eſt. Quod verò paulatìm fit, tutum eſt; tum aliàs, tum ſi ex altero ad alterum tranſitus fit. Hipp. in aph. Hæc omnia, repetitis plurium annorum experimentis, ſolidis rationibus ſuffultis, confirmata novi.

Quibus ſeptimâ die morbi judicantur, his nubeculam habet urina, quartâ die rubram; et alia, ſecundum rationem. Hipp. aph. 71. Sect. 4. Hoc in tractandis febribus, pluriès verum obſervatur.

Quibuſcunque febricitantibus, in urinis ſubſidentiæ, craſſiores farinæ partes referentes,

rentes, fiunt; longum morbum ſignificant. Hipp. aph. 31. *Sect.* 7. Hoc ſæpè patet experimentis.

Quicunque ſanguinem vomunt cum febre: malum. Hipp. aph. 37. *Sect.* 7. Hujus veritas primâ facie, vel levitèr attendenti evidentèr apparet.

Si quis febricitanti cibum det, quem ſano exhibet. Sano quidem robur, ægroto verò morbus eſt. Hipp. aph. 65. *Sect.* 7. Hoc omnibus in praxi medicâ vel minimùm exercitatis, abundè notum eſt.

Quicunque ſuprà quadraginta annos phrenetici fiunt, non ità valdè ſani fiunt. Minùs enim periclitantur, quorum naturæ, et ætati morbus affinis fuerit. Hipp. aph. 8°. *Sect.* 7. Ratio ſimùl et coacervata experimenta, hujus veritatem confirmant.

Urinæ quæ derepentè et citrà rationem concoquuntur, malæ ſunt: et in ſummâ quæ citrà rationem matura eſt, in morbo acuto, mala eſt. Hipp. Hoc in febrium acutarum curatione, milliès ad minimùm verum obſervavi.

Caput Tertium.

De Diarrhæâ & Dyſenteriâ.

LIENOSIS ſuperveniens Dyſente-teria, bona. At ſi longa fuerit, in hydropem et lienteriam tranſit. *Hipp.*

A profluvio alvi longo correpto, vomitus ſponte accedens, ſolvit alvi profluvium.

Diarrhæa diutiùs durans, ſi torminoſa ſaltem, et epidemica fuerit; in dyſenteriâ frequentiſſimè terminatur.

A læſâ ventriculi digeſtione; diarrhæa, dyſenteria, et lienteria ortum ſæpiùs habent; ut frequentèr expertus ſum; Et ſpeciatìm in fæminâ, quæ per ſex continuos menſes diarrhæâ primò torminoſâ, deìn dyſenteriâ truculentâ decubuit. A lardo comeſto, et indigeſto, morbus ortum habuit. Ægræ à diuturnitate, et vehementiâ morbi quantumvis debilitatæ, attritæ, et ad maraſmi ſtatum redactæ, emeticum ſtatìm propinavi; quod hùc uſquè, ad ſexti nempè menſis à primâ morbi invaſione exitum, (quo præciſè tempore meam opem

opem primò imploravit ;) penitùs neglectum fuit. Lardum hoc planè inconcoctum per vomitum cum euphoriâ rejecit. Ab hoc tempore convaleſcere cæpit ; et poſt ſeptimanam unam aut alteram, paucorum remediorum ope priſtinæ ſanitati perfectè reſtituta eſt.

Lippientem alvi profluvio corripi, bonum. Alvi laxitas, cutis denſitas. Cutis raritas, alvi denſitas. Has *magni Hipp.* obſervationes quotidiana ferè confirmant experimenta.

A corruptis, et pravi ſucci alimentis ; frigore ſuſcepto ; frigidâ, ſiccâ, gelidâ, et aquiloniâ tempeſtate ; humidâ et frigidâ atmoſphærâ aereâ ; et conſtitutione aeris epidemicâ his morbis generandis accommodatâ ; diarrhæa et dyſenteria frequentiſſimè ſuboriuntur.

Sudor univerſalis et calidus ſuperveniens, diarrhæam et dyſenteriam haùd rarò ſolvit. Balnea igitùr aquæ dulcis calidæ, aut ſaltem ſemicupia, ad hos morbos amoliendum efficacia obſervantur. (Docente *Hipp.*)

Phlebotomia ſemèl aut bìs celebrata, vomitus à radice ipecacoanæ excitatus, purgatio potione leni è rhab. myrobal.

man.

man. et ſyr. roſar. ſolut. comp. inſtituta et pro re natâ repetita, in dyſenteriæ et diarrheæ torminoſæ aut epidemicæ curatione plurimùm valent.

Laudan. ſolid. aut liquid. et ſyrup. de mecon. in prædictorum morborum curatione, (præmiſſis priùs debitis memoratis evacuationibus) palmam aliis ferè medicamentis præripiunt.

Enemata reſtringentia, è lacte aquâ diluto in quo tantillum rad. tormentill. cort. querc. et granat. raſur. ebor. et C. C. incoctum fuerit; cum theriacâ andromach. aut confect. Fracaſtor. et vitel. ov. ſolut. ac L. L. inſtillat. compoſita, parvâ quantitate pro ſingulis vicibus injicienda, et alternis noctibus ad tres vel quatuor vices repetenda, magnoperè levant.

Nimius clyſterum in diarrhæâ et dyſenteriâ uſus, plùs damni quàm emolumenti affert. Clyſteres enìm frequentiùs injecti gravant inteſtina, et ani ſphincterem nimìs relaxant.

Irritis omnibus laudani præparationibus, largiſſimis licet doſibus ſubminiſtratis, ſyrupi de meconio efficacem in debellandâ dyſenteriâ virtutem expertus ſum.

Theriaca

Theriaca andromachi, decoctum *Fracaſtorii*, decoctum rubicundum, rhabarbarum crudum, et toſtum, nux moſchata toſta, radix ipecacoanæ, tinctura rhab. phar. Edinburg. radix tormentill. cortex quercus, et granatorum, flores balauſt. et roſar. rubr. confectio Fracaſtorii ſine melle, decoctum album, decoctum contrà diarrhæam, terr. japon. coral. rub. ppt. crocus mart. aſtring. lap. hæmatit. bol. armen. ſang. drac. alum. rup. cort. peruv. et ſimilia, efficacia quidem et utilia, ad præfatos morbos debellandum remedia (coacervatâ multorum annorum experientiâ teſte) agnoſcuntur.

Qui dyſenteriâ moriuntur, omnes ferè ex ſphacelo inteſtinorum pereunt; cum pulſu inæquali, exili, languidiſſimo, extremis frigidis, et ſæpè delirio.

Nihil inteſtinorum gangrænam feliciùs præcavet, quàm (poſt præmiſſas debitas evacuationes,) cortex peruvianus, cum opportunis reſtringentibus et opiatis ſociatus, ritè ſubminiſtratus. Ulteriorem enìm humorum colliquationem præpediendo, et febrem ſupprimendo, impetuoſum acrium nimìs humorum in inteſtina ruentium

fluxum

fluxum cohibet: enervatum ſolidorum tonum reſtituit: ſtomachum et ſyſtema nervoſum corroborat: cutis poros reſerando, obſtructam diaphoreſin reſtaurat: et inteſtinalem inflammationem efficacitèr reprimit.

Gravidis dyſenteriâ truculentiſſimâ laborantibus, emeticum è radice ipecacoanæ (irritis aliis omnibus remediis) cum optato eventu præſcripſi.

Prædicti emetici virtute, abortus periculum tum in præfatis morbis, tum in febre intermittente quotidianâ, et tertianâ, felici admodum ſucceſſu haùd raró præcavebam.

Diaphoreticorum, et ſudorificorum medicamentorum, initio præſertìm morbi (non præmiſſis priùs debitis evacuationibus) uſus immodicus, inflammando præter modum inteſtina ſphacelum et mortem haùd raró induxit.

Extremorum, et totius corporis linteis ſiccis mane et veſperi continuata fricatio, ad fluxum alvi reprimendum haùd parùm conducit. Hoc enìm exercitii genere pori cutis aperiuntur; undè alvus ſiccior evadit.

In

In inveteratis et pertinacibus alvi flux-ibus, equitatio in aere aprico ruſticano continuata ſalutaris eſt ; et morbum ſæpè ſolvit.

Blandus lecti calor, focus in cubiculo luculentus, et ſtragula lecti avertendo fri-gori accommodata, hyemali præſertìm et gelidâ tempeſtate, ad fluxum alvi cohi-bendum haùd parùm conferunt.

Ad dyſenteriæ et diarrheæ recidivam aver-runcandum, nihil obſervavi efficacius, quàm diætâ opportunâ refici, contrà aeris gelidi, humidi, aut contagioſi injurias ſedulò muniri, maturiùs lectum petere, primas digeſtiones ſtomachicis opportunis, et equi-tatione ruſticanâ continuatâ reſtaurare, animumque curis omnibus gravioribus, in-tentis cogitationibus, aut mærore vacuum licitis omnibus modis recreare.

Carnium commeſtio, et cereviſiæ potus, in alvi fluxu prohibentur. Conveniunt è contra gelatina C. C. ova recentia, pana-tella, orizata, panis cum lacte coctus, vinum rubrum aromatizatum coctum, et ſimilia.

Gravi iliaco, fortiora cathartica, et enemata acriora injecta magnoperè nocent. Criſpaturam enìm fibrarum inteſtinalium adaugendo, cavitatem inteſtinalem imminuunt; et excrementorum exitum impediunt. Undè ſtrangulatoria inflammatio, et inteſtinorum ſphacelus inſequuntur.

Conveniunt autem venæſectio, enemata emollientia, relaxantia, fotus emollientes, balnea aquæ dulcis calida repetita, et etiam opiata: Ut coacervatâ et repetitâ in compluribus ægrotis experientiâ compertum habeo.

Opiata non tantùm aſtringenti et ſoporiferâ quâ pollent virtute, ſed etiam pleniorem per cutis poros diaphoreſin invitando, et humores ad corporis peripheriam ab inteſtinis determinando, ad diarrheæ et dyſenteriæ curationem conferunt.

Si à præpropero nimìs reſtringentium uſu, nullis præmiſſis debitis evacuationibus, alvi fluxus ſiſtatur; et inflatio abdominis ſuperveniat; vel major in egerendo difficultas; aquâ calidâ lavare oportet: deindè rhabarbaro et paregoricis interjectis uti.

Aphthæa

Aphtheæ, et ſingultus, dyſentericis ſupervenientes; mortem, vel ſaltem maximum vitæ periculum futurum prænunciant.

Frequentes dejectiones mucoſæ cum ventris torminibus, quamvis ne vel minima ſanguinis gutta per omnem morbi decurſum iiſdem admiſceatur; dyſenteriam tamen haùd minùs rectè conſtituunt, quàm ſi prædictæ dejectiones cum ſanguine fuiſſent commixtæ.

In dyſenteriæ curatione, opiata poſt abſolutas catharticorum operationes aliquantò temporiùs exhiberi debent, quàm in aliis caſibus poſt cathartica aſſumpta fieri ſolet; tum ut ſanguinolenti fluxus revireſcentia præcaveatur; tum etiam ut torminum inteſtinalium ſævitia demulceatur.

Caput Quartum.

De Tuſſi Epidemicâ.

TUSSIS hæc à rigore et horrore ſaltem levioribus, ut plurimùm ordiebatur; quibus mox ſucceſſerunt alia febrium acutarum uſitata ſymptomata.

Pulſus magnus, celer, et mollis; reſpiratio difficilis, cita, et nonnunquam anheloſa; lingua alba et humida; inappetentia; tuſſis moleſta et importuna; et detracti ſanguinis color, pleuriticorum ſanguinem æmulans; pulmones leviori aliquâ ſaltem inflammatione obſideri indicabant.

Sanguinis miſſio in principio morbi liberalis et tempeſtiva; lene emeticum poſt aliquot abhinc horas hauſtum; et his præmiſſis, epiſpaſticum amplum et acre ad nucham applicatum; morbum hunc ut plurimum abbreviabant: et pulmones ab inflammatione cæteroquin forſan ſuperventurâ liberabant.

Linctus pectoralis lambendo ſæpiùs voratus; ptiſana pectoralis ſubcalida pro potu ordinario partitis frequentèr vicibus hauſta; et decocta pectoralia fervidè ſubindè ſorbillata; (prægreſſis evacuationibus memoratis) tuſſim hanc multum ſublevabant.

Paregorica medicamenta in his morbi tempore et circumſtantiis, (nullâ inſigni in pulmonibus ſubſiſtente inflammatione) ad tuſſim ſedandum, ſerum acre ſalinum

Catharrale

Catharrale, ſenſibiles tracheæ fibrillas irritans demulcendum, et concoquendum, ac pulmones ab infarctu aut inflammatione tuendum mira præſtabant.

Diæta tenuis et parca; enemata emollientia quotidiè vel alternis diebus injecta; evacuantia, anodina, et pectoralia prædicta pro rei exigentiâ plùs minùs repetita; ad coctionem accelerandum, et viam ſudoribus criticè erupturis feliciorem parandum contulerunt.

Sudores profuſi, calidi, per totum corpus oborientes, poſt memoratas evacuationes ſpontè erumpentes, ad xxiv ad minimùm horas et diutiùs quandoque protracti, morbum felicitèr ut plurimum ſolvebant.

Non in hâc tantum epidemicâ tuſſi, ſed etiam in compluribus aliorum annorum hyemalibus præſertìm tuſſibus, ſymptomatis pleuriticis et peripneumonicis genuinis ſtipatis, (præmiſſis tamen ſempèr liberali illâ ſanguinis detractione quam, neceſſariò requirebat morbi inflammatorii natura, aliâque paritèr omni methodo huic occaſioni opportunâ,) paregorici medicamenti et ſpeciatìm ſyrup. de meconio ſalutares effectus ſæpiſſimè expertus ſum. Ab ejus enim in præfatis caſibus (poſt ſufficientem tamen detractam

tractam ſanguinis quantitatem, aliamque legitimam methodum ſedulò uſurpatam,) exhibitione, non tantum tuſſim, ſed alia etiam inſupèr omnia ſymptomata peripneumonica, et excreandi ſputi difficultatem ſublevata fuiſſe, ſæpiùs obſervavi.

Incautis epidemicâ hâc tuſſi laborantibus, aut præpoſterâ medendi methodo utentibus, pulmonum confirmata inflammatio quandoque ſupervenit. Hæc autem venæſectione repetitâ, legitimo medicamentorum pectoralium, relaxantium, et antiphlogiſticorum uſu, unà cum diætâ et regimine opportunis ritè inſtitutis, auſpicatò plerumque debellabatur.

Infuſio cathartica lenis, bis poſt debita intervalla ſub morbi finem repetita, colliquatæ materiæ reliquias per ſedem, abſque ullo recidivæ periculo, tutò deturbavit.

Aer apricus ruſticanus, equitatio modica ad plures dies continuata, lactea nonnunquam diæta, et, ſi leviora inſupèr febris hecticæ ſuperveniſſent ſymptomata, apozema è cort. peruv. cum pectoralibus et balſamicis ſociato paratum, in præcedentibus pagellis deſcriptum, (corpore ſub morbi finem debitis priùs lenioribus catharticis,

ſemèl

ſemèl ad minimum depurgato,) ad ſanitatem penitùs redintegrandum, et vel minimas adhuc ſuperſtites tuſſis reliquias amoliendum ægregiè conſpirabant. Hæc de hujus conſtitutionis epidemicis; et de morbis etiam de quibus agere decrevi acutis omnibus; dicta ſunto.

De CHRONICIS Quibusdam Morbis Pauca Subnectuntur.

Et Speciatìm

De Calculo Renum; Rheumatiſmo; Aſthmate; et Podagrâ.

DOLOR acerbiſſimus in renum regione ſtabilis, qui per ureteris ductum ad veſicam, et teſticulum proximum cum vomitione continuâ excurrit; arenoſum aut calculoſum renalem affectum ſignificat.

In acuto renum dolore, ſi præcipuè ætatis florem nondum prætergrediatur æger, ſivè à calculo, ſivè à merâ partis inflammatione ortum habeat; ſanguinis detractio liberalis; enemata emollientia, emulſiones refrigerantes, aqua hordei nitrata, et ſerum lactis limpidiſſimum utiliſſimè ſubminiſtrantur.

In

In dolore renum calculoſo, ſemicupia; linimenta, et enemata emollientia; decoctum radicis althææ in ſero lactis limpidiſſimo paratum, largâ copiâ hauſtum; decoctum malvæ; ptiſana ex hordeo, rad. acetos. althææ, gramin. et cichor. paſſul. glycyrrhizâ, fol. malv. &c. in quâ nitrum purificat. aut ſal. prunell. diſſolutum fuerit; man. calabrinæ in liquore idoneo ſolutæ doſis modica, pro re natâ repetita; emulſiones arabicæ, aut amigdalinæ; et pill. matth. opportuna pro ſymptomatum vehementiâ doſis, ſingulis vel alternis noctibus repetenda; ad criſpaturam fibrarum renalium laxandum, ureterum contractos ductus dilatandum, et moleculis arenoſis in veſicam delabentibus, tranſitum faciliorem præbendum ægregiè conferunt: Ut repetitâ ſæpiùs experientiâ notum habeo.

Dolor in renum regione hebes, et obtuſus; et poſt equitationem, in curru vectationem, vel aliud quodvis inſigne corporis exercitium, urina cruenta; grandiorem renum calculum indicant.

Paroxyſmus nephriticus, quem vomitio enormis, et dolor ingens per ureterum ductus verſus veſicam tendens, concomitantur;

mitantur; non calculum grandiorem in pelvi, ſed arenulas, aut calculorum minorum congeriem contineri demonſtrat; quorum unus ſubindè in ureterem illabitur; et præfatum hinc paroxyſmum invitat.

In grandiori renum calculo, qui per ureterum ductus, præ molis magnitudine, in veſicam urinariam facilè propelli nequeat; aquas minerales chalybeatas, diuretica acria, et nimìs ſtimulantia, quæ calculum vi quâdam è pelvi deturbare ſolent, omninò prohibere convenit: quià non tantum inutilia, verum etiam noxia admodùm, aut perniciosa obſervantur. Ureterum enim cava irritanti ſuâ qualitate coarctant, et calculi in veſicam deſcenſum præpediunt. Emollientia è contrà, et relaxantia diuretica, ductuum capacitatem ampliando, eundem facilitant, et accelerant.

Ad ſanguinis mictum, à grandiori renum calculo provenientem, ſublevandum; non datur præſtantius remedium, quàm opportuna doſis man. calabrin. in liquore idoneo ſolutæ, ſingulis hebdomadis, aut etiàm ſæpiùs, pro re natâ repetenda: quemadmodum in ſe ipſo feliciſſimè expertus eſt *Clariſſimus Sydenhamius*; et ego paritèr magni hujus viri authoritate fretus, hoc

idem

idem felici admodum eventu, in meâ praxi efficaciſſimum pluriès expertus ſum.

Non in majori tantum calculo, ſed et in minorum calculorum congerie, et hinc ortis paroxyſmis nephriticis, ſalutares mannæ calabrinæ effectus frequentèr notavi.

Ad præcavendum minorum calculorum generationem, eoſque ſemèl formatos è renibus deturbandum; efficaciſſimum remedium eſt, aquarum chalybeatarum, præſertìm ſpadanæ, æſtivo tempore potatio liberalis, et methodica; modò tamen eodem tempore nullus omninò infeſtet paroxyſmus nephriticus; diætæ interìm convenientis, exercitii opportuni, et medicamentorum ſtomachicorum accommodatus uſus, cum prædictarum aquarum potu legitimè ſocietur.

Quibus vetuſti jàm renum dolores fiunt, quoniam urinæ itenera in his magìs patent; hi grandioribus calculis frequentiùs torquentur; mediocribus, non item.

Quibus verò novum hoc vitium eſt, aut certè rari ejus dolores fiebant; hi minimo etiam calculo cruciantur. Multò tamen faciliùs a morbo liberantur.

Infrequens eſt calculi dolor, his, qui ſæpiùs vomunt; aut alvum lubricam habent.

Ad præcavendum igitùr calculum; conferunt lenia emetica ſæpiùs propinata, et alvus ſtiptica regimine debito, et lenibus medicamentis laxantibus mollienda.

Aquæ minerales chalybeatæ, et diuretica acria ſtimulantia, in paroxyſmorum nephriticorum intervallis, non verò in ipſo paroxyſmo, ad deturbandas arenulas conducunt; ut ſæpiùs expertus ſum. Nam in intervallis, laxatur (remoto ſtimulo criſpante,) ſolidorum tonus, et dilatatur minimorum tubulorum diameter; undè diuretici acrioris, et irritantis operatio felicior; in ipſo verò paroxyſmo, contrahuntur à ſtimulo calculoſo ſolidorum fibrillæ, et meatuum cava coarctantur; quibus, ſi à diuretico acriori criſpante jàm exhibito, ulterior accedat contractio; aut cavitatis anguſtia; augebitur materiæ ſabuloſæ obſtructio: fluidorum circulus in parte affectâ inhibebitur: et hinc ſæpè ſupervenient renum inflammatio, febris acuta, delirium, convulſio, gangræna, et inevitabilis mors.

Inter

Inter emollientia, in dolore renali calculoſo vehementi, miniſtranda, haùd infimum locum tenent venæſectio, pro re natâ repetita ; balneum aquæ tepidæ ; decoctum malvæ ; ſperma cæti ; oleum lini, aut amigdalarum dulcium recentèr extractum ; pillulæ matthæi ; emplaſtrum oxycroceum, renum regioni applicandum ; et enema emolliens, pro re natâ repetendum ; ut frequenti obſervatione compertum habeo.

In dolore renum calculoſo, cum podagrâ ſociato, convenit julapium ſtomachicum, diureticum, cordiale, temperatum, ſpiritu nitri dulcis inſtillato modicè ſaturatum, et ſyrupi de althæâ ſufficienti quantitate edulcoratum, ſtatis horis cochleatìm exhibendum. Convenit paritèr ſerum lactis vino albo rhenano paratum, cui radix althææ incocta fuerit, pró potu ordinario uſurpandum.

In urinæ ſuppreſſione à veſicæ calculo ortâ, conferunt ſemicupia ; enemata ex aquâ tepidâ cum oleo lini, ſæpiùs injecta ; fotus et cataplaſmata emollientia ; ptiſana emolliens ; decocta emollientia jàm ante recenſita ; oleum lini recentèr extractum ; et calculi è veſicæ collo per catheterem repulſio.

Materia

Materia calculi, et podagræ, ſunt ſalia animalia urinoſa, ab indebito et præpoſtero ſex rerum non naturalium uſu genita, in ſanguine congeſta ; quæ circulationis lege in vaſa minora delata ; virtute, quâ pollent, maximè attractivâ, variæ molis & figuræ moleculas formant : quæ angulatis ſuis cuſpidibus, ſolida nimiâ irritatione convellunt ; ac dolorem, obſtructionem, criſpaturam, & inflammationem, in renibus, & articulis, pariunt.

Ad præcavendum calculum, & podagram, nulla per experientiam methodus efficax exploratior eſt, quàm cibo animali parcè admodùm, et minùs luxurioſè nutriri ; vino modicâ aquæ quantitate diluto pro potu temperantèr uti ; equitatione ruſticanâ quotidianâ continuatâ, deambulatione frequenti, aut in curru vectatione, digeſtiones ſingulas reſtaurare, atque firmare ; quià ab hâc continuâ corporis ſuccuſſione, calor naturalis accenditur ; & organa ſecretioni deſtinata, in munere ſanguinis depuratorio ritè peragendo promoventur ; undè digeſtionum reſtauratio, & laudabilis corporis craſis, inſequuntur.

Non eſt magìs in paroxyſmo podagrico ſalutare ſignum, quam ut ægrotans ſtomacho

macho, & ſpiritibus valeat; ſomnum ſubindè capiat; materiam podagricam ſufficienti copiâ ad articulos demandet; & urinam contentis ſaturatam copioſè effundat.

Arthritis aliquandò mutatur in colicam; & colica in arthritidem.

Ante invaſionem paroxyſmi podagrici, venæ partis ad quam ſubitò acceſſura podagra eſt, intumeſcunt. Nauſea, vomitio, inappetentia, vel voracitas quædam inuſitata, laſſitudo, & gravedo, præcedunt.

Non ideò podagra non curatur, quià morbus eſt ſuâ naturâ incurabilis; ſed quià æger aut tempeſtivè medicum non accerſit; aut ipſius monitis, quandò accerſitur; non auſcultat.

Qui primum prodagræ inſultum perſentiſcunt, vel in calceum nimìs arctum; vel in caſum aliquem, aut plagam; vel deniquè in levem aliquam luxationem, aut nervi contortionem; malum conſultò refundunt.

Vinum, venus, otium, et crapula, primi podagræ parentes in cauſa ſunt, quod juvenes, morbum hunc primò invadentem, præfatis, vel ſimilibus accidentibus, ſimulando ſaltem attribuant. Pudet enìm illos, pro-

priæ ſanitatis & famæ diſpendio, prædictis illecebris (clauſis occulis) turpitèr emancipatos, ab aliis derideri.

Hinc ſerò nimìs conſulitur medicus; vel ſi fortè maturiùs conſulatur; ipſius monita ſpernuntur. Quià tantam fortaſſè luxuriei, & libidinum abnegationem, ferre quandoquè nequeunt podagrici, quanta memoratis jàm podagræ occaſionibus evitandis ſufficeret.

Podagra igitùr in ſenectute, quòd mirùm profectò non eſt, vel poſt duram complurium annorum morbo, et ipſius occaſionibus impenſam ſervitutem; & omnem ferè corporis ſubſtantiam in hujus morbi fomitem converſam; palliativam tantùm, ſed non radicalem curationem admittit.

Podagra de ſuâ naturâ dici non poteſt magìs inſanabilis, quàm eſt phthiſis pulmonaris in primo ipſius gradu; lues venerea recens contracta; dyſenteria; pleuritis; & alii complures morbi; qui, licet facilem in principio curationem admittant; (ſi tamen ægri culpâ, aut aliâ quâcunque de cauſâ, curatio diutiùs differatur; hincque ultrà modum inveterati, nimìs exacerbentur hi morbi;) incurabiles omninò ſæpè obſervantur. Ita enìm & de podagrâ judicandum

candum eſt; ſi namque venienti, aut recèns formato tempeſtivè occurratur morbo; nec ſerò nimìs paretur medicina; malumve per longas non invaluerit moras; morbus iſte haùd difficilem forsàn in ætatis flore, aut ancipitem curationem experietur. Si verò his contraria eveniant; & ægritudo hæc nimìs inveteraſcat; mirum cenſeri non debet, quòd palliativam tantùm, non verò perfectam in talibus circumſtantiis medelam agnoſcat.

Quicunque aut ſenes ſunt, aut circà articulos callos tophaceos concretos habent, aut ærumnoſè vivunt, aut ſiccam alvum habent; hi omnes ſani fieri non poſſunt humanâ arte, quantum ego novi. Sanant quidem hos optimè, dyſenteriæ ſi ſucceſſerint. Sed & aliæ eliquationes valdè proſunt, quæ ad inſernos locos repunt. *Hipp. L.* 2. *prædict.*

In primo arthritidis paroxyſmo ſi advocetur medicus; æger ætatis florem nondum prætergreſſus, medici intelligentiam nacti monitis ſedulò auſcultet; nec morbus hæreditarius ſit; radicitùs in hoc caſu curari poteſt. Juxta illud *Hipp. l. c.* ubi ſic habet. Qui verò juvenis eſt, et circà articulos nondum tophaceos callos concretos habet, & accuratè vivit, & laboris amans eſt, & alvum bonam habet ad obe-

diendum pro ſtudiorum ratione; hic ſanè medicum intelligentiam habentem nactus, ſanus fieri poterit.

Triplicem diſtinguere ſoleo podagram, hæreditariam ſcilicet; ſymptomaticam; & acquiſitam.

Hæreditaria à parentibus; ſymptomatica à morbo aliquo eſſentiali & primario; ſcorbuto *v. g.* aut lue venereâ; & acquiſita à magnis & diù continuatis circà res non naturales erroribus ortum habet.

Quandò vinum, venus, otium, & crapula diutiùs continuantur; fieri non poteſt, quin organa ſecretoria eoùſque fuerint debilitata, ut defæcando ſanguini, & ejus redundantiis eliminandis imparia prorsùs facta, uberiori humorum proventui coagmentando occaſionem præbeant; quàm cui digerendo corporis vires ſufficiant.

Hinc nimia ſalium animalium in ſanguine congeſtio; & in vaſis renum, articulorumque minoribus, horum attractio major; et figura ſalinarum molecularum multangula. Hinc ſenſatio ingrata, dolor, tenſio, obſtructio, & inflammatio, quæ paroxyſmum calculoſum, aut podagricum ritè conſtituunt, neceſſariò & inevitabilitèr ſuboriuntur. Antecednes

Antecedens podagræ cauſa eſt humorum indigeſtio, & accumulatio, à nimio & diù continuato ſex rerum non naturalium abuſu, & ſpirituum animalium debilitate ortum habentes. Continens verò eſt acris humorum putredo, ab exuberanti ſalium animalium urinoſorum copiâ, in ſanguine diuturniori morâ ſtabulantium, varias ac multiplices fermentationes ſubeuntium, & dolorificam in articulis criſpaturam, inflammationem, & tumorem excitantium, orta.

Antecedenti cauſæ opponuntur, quæ nimìs redundantes humores evacuant; ventriculum corroborant; ſanguinem confortant; ſolida laxata reſtituunt; ſpiritus reſtaurant; & varia corporis emunctoria, fæculentiis & recrementis ſanguinis amandandis deſtinata detergunt.

His intentionibus apprimè ſatisfaciunt primò, venæſectio, emetica, & cathartica, pro re natâ & circumſtantiarum omnium ratione, rariùs, aut frequentiùs repetenda; ſecundò, equitatio in aere aprico ruſticano quotidiana, ad plures ſeptimanas protracta; vel hujus defectu, vectatio in rhedâ ſingulis diebus ad aliquot horas continuata; corporis totius, manè, & veſperi, verriculo aut linteis ſiccis ſedula & quotidiè repetita

 fricatio;

fricatio ; & ejuſdem in aquas marinas omni mane immerſio, per trimeſtre ſaltem ſpatium continuanda ; tertio, aromatica amara, antiſcorbutica, cortex peruv. flor. ſulphur. & chalybeata accommodata ; quarto, diæta boni ſucci & facilis digeſtionis, è vegetabili regno quoad majorem partem petita ; aut ex juniorum animalium carnibus, parcâ tantum ſingulis paſtibus quantitate uſurpatis, deprompta ; Quintò, alvus repetitis tincturæ ſacræ, vel rhabarb. electiſſimi, & proportionatis doſibus, prout opus fuerit, ſolvenda ; Sexto, maturus omni veſperi in lectum ingreſſus ; cautum contra frigidi aut humidi aeris injurias munimentum ; & ſomnus placidus ad octo ſaltem horas protractus ; Septimò, potus diæteticus ſufficientèr dilutus, quotidiè liberalitèr hauſtus ; vinum aquâ dilutum pro potu in paſtu ; & modica pro re natâ vini portio, poſt omne prandium hauſta ; Octavo, animi tranquillitas ; temperata pathemata ; ſtudium vel modicum, vel nullum ; hilaris animus ; vini, veneriſque oblectamenta parciſſima ; et his ſimilia.

Continenti cauſæ præter jàm recenſita, opponuntur prætereà diluentes & blandi liquores, affatim & calidiuſculè hauſti ; diæta vegetabilis parca, & facillimæ digeſtionis ; blandus lecti calor ; urina copioſa ſedimento multo ſalino ſaturata, ſingulis diebus

diebus excreta; conſtans partis affectæ panno laneo obductio; enematum emollientium, aut medicamentorum modicè laxantium ad alvum ſtipatam ſolvendum, intercalatus pro rei neceſſitate uſus; ſomnus placidus ad plures ſæpiùs horas protractus; diaphoreticus a parte affectâ exudans mador; pruritus ejuſdem partis, & cuticulæ deſquamatio; liquor diæteticus tenuis, & alii demulcentes paritèr ac diuretici liquores, tepidi, ad libitum hauſti; volatilia modicâ quantitate in julapiis refocillantibus, aut liquoribus diluentibus pro potu ordinario miniſtratis, ſubinde inſtillata; anodyna varia pro ſymptomatum anomalorum ſævitiâ, & magnitudine, prudentèr & iteratis, prout opus fuerit, vicibus exhibita; aliaque ejuſmodi.

Qui radicalem podagræ originalis & acquiſitæ curationem aggreditur, ſi, quamprimum certa morbi primâ vice invadentis ſymptomata appareant, ad juvenem plethoricum appetitu, (quòd ſæpè fit) et ſpiritibus vegetis valentem advocatus fuerit; morbi materiam & acres humores in corpore redundantes phlebotomiâ repetitâ, intercalatis poſt debita intervalla potionibus catharticis, (præmiſſis ſempèr bolis mercurialibus præparantibus) et

& emeticis lenioribus ſubindè repetitis, ſucceſſivè amandare debet.

Qui hanc methodum tempeſtivè proſequitur medicus, (dummodò ipſius monitis in aliis omnibus ſedulò obtemperet ægrotans,) non minùs felices fortaſſè in debellandâ podagrâ hinc obſervabit effectus, quàm quos ab eodem evacuationum genere, in rheumatiſmi amolitione frequentèr olìm obſervabant, & hodiè etiam experiuntur magni nominis viri.

Poſt omnem cathartici, & emetici, abſolutam operationem, hauſtus paregoricus horâ ſomni propinari debet, ad tumultum à purgante medicamento in humoribus excitatum ſedandum; et novi paroxyſmi reviteſcentiam præcavendum.

In purgationum intervallis, hiſque paritèr bìs aut tèr repetitis penitùs abſolutis; ad ventriculum corroborandum, et digeſtiones omnes promovendum; electuarium ſtomachicum, confortans, aromaticum, et antiſcorbuticum, cortice peruviano, et theriacâ *Andromach.* præcipuè ditatum, mane et veſperi horis medicinalibus, ad nuc. moſchat. quantitatem vorandum eſt; ſuperbibendo unc. iii. tinctur. præfat. cort. cum ſtomachicis, aromaticis amaris, et antiſcorbuticis ſociati, in vino, aut aquâ, pro tempe-

ramenti,

ramenti, ætatis, anni temporis, et aliarum circumſtantiarum ratione, parandæ.

Præmiſſis prædictis evacuationibus, alvus ſi nimìs ſtipata ſit, mediocri tantum tincturæ ſacræ, aut rhabarbari doſi, ſemèl aut bìs in ſeptimanâ pro re natâ ſolvi debet.

Diæta accurata, ex juniorum animalium carnibus parcior, è vegetabili autem regno liberalior, eodem tempore ut anteà innuebam inſtituenda eſt ; et vinum aquâ dilutum pro potu ordinario, ſingulis paſtibus concedendum.

Vino multùm et longo tempore aſſuetis, hypochondriacis, debili ſtomacho, aut enervatâ ſpirituum craſi gaudentibus, ad primas digeſtiones perficiendum, et ſpirituum animalium ataxiam præcavendum, ſemilibram aut circitèr vini veteris rubri gallici optimi, vel hiſpanici puri, diverſis poſt prandium hauſtulis miniſtrare convenit.

Ad podagram amoliendum, immerſio quotidiana in aquas marinas, ad menſem unum aut alterum continuanda, et alia exercitia ſuprà recenſita plurimùm valent. Præmiſſis tamen evacuationibus memoratis, regimine etiam et medicamentis ſupradictis

omnibus

omnibus, ad tempus aliquod priùs continuatis.

Qui multum ſudant, raró vexantur podagrâ. Salia namque animalia urinoſa, quæ morbum hunc fovent, per cutis poros exudando avolant. Hinc urinoſum odorem ſudor profuſus ſæpe refert.

In podagrâ inveteratâ tractandâ, evacuationes prædictæ ſedulò vitari debent. In paroxyſmorum autem intervallis; exercitiis, diætæ, et medicamentis ſupra recenſitis diligentèr incumbendum eſt.

Nihil magìs enervatam ſpirituum craſin refocillat, et reſtaurat; ſtomachum debilem corroborat; digeſtiones omnes promovet ac perficit; viſcidos et acres humores attenuat, dividit, et demulcet; ſolida laxata reſtituit, et ad debitum tonum revocat; ſecretiones omnes ad animalis œconomiæ ſuſtentationem neceſſarias adauget; viſcerum obſtructiones ſolvit; horum deperditas vel depravatas functiones reſtituit; recrementa ſanguinis ſive ſenſibilia, ſivè inſenſibilia, per opportuna emunctoria eliminat; aut denique humani corporis ſolida, et fluida, à præpoſtero rerum non naturalium uſu nimìs protracto depravata, ad debitam revocat temperiem; quàm cortex peruvianus diù con-

tinuatus,

tinuatus, theriac. andromach. uſus ; vina aromatica amara ſtatis horis uſurpata ; chalybeatorum, et aquæ præſertìm ſpadanæ methodica ad plures ſeptimanas ſubminiſtratio ; corporis totius in aquas marinas immerſio quotidiana diù continuata ; aliaque exercitia prædicta ; diæta accurata ; animus hilaris, tranquillus, et à ſtudiorum vel curarum ſervitute immunis ; ſomnus, ut in ſuperioribus dictum eſt, maturus, et placidus ; alvuſque pro rei neceſſitate ſoluta.

Nec in podagrâ tantùm, ſed etiam in compluribus aliis morbis chronicis, à nimiâ fluidorum viſciditate & ſolidorum laxitate, in hâc noſtrâ præſertìm inſulâ præcipuè pendentibus, prædicta jàm omnia felices admodum et fauſtos producunt effectus : Ut diligentibus et ſæpiùs repetitis in praxi obſervationibus mihi evidentèr innoteſcit.

Animi pathemata graviora, et mentis perturbationes, ſpirituum animalium ſyſtaſin ſolvendo digeſtiones omnes pervertunt ; et morbi hinc cauſam conſtituendo, aut ſaltem fovendo, podagram accerſunt. Ideoque omni ſtudio et diligentiâ vitari debent.

Qui à podagræ jàm formatæ futuris inſultibus immunis fieri vult, prædicta ferè

omnia monita, ſaltem quoad diætam, exercitia, et animi pathemata, ad aliquot eum annos obſervare oportet; et per omnem paritèr vitæ futuram durationem, præpoſterum illum rerum non naturalium uſum, qui morbum hunc primariò invitabat; ſedulò, et maximâ quâ fieri poſſibile eſt, cautelâ devitare.

Quo enìm pacto (*Quemadmodum rectè olìm Sydenhamius*) fieri poteſt? Ut, qui commeſſationibus, compotationibus nocturnis, et luxuriæ omnigenæ per plures annos continuos indulgendo, ſolita exercitia deſerendo, graviora animi pathemata incontinenti ſtudio atque irremiſſâ animi applicatione multum fovendo, varia corporis fermenta peſſundedit; primaria coctionum inſtrumenta et univerſum ſolidorum ſyſtema humores præternaturales coacervando, debito tono ac elatere privavit; remediis accommodatis, diætâ convenienti, et regimine opportuno, ad paucas tantum ſeptimanas aut menſes continuatis, univerſam penè corporis ſubſtantiam ità efficacitèr tranſmutatam experiatur; ut prædicta mala, ab iniquo regimine per tot annos pertinacitèr continuato, orta, ampliùs non perſentiſcat: cum coctionum à prædictis cauſis perverſarum robur et partium firmitudo, ſensìm tantum et poſt debitum

ac

ac ritè protractum temporis terminum, reduci valeant aut reſtaurari.

In podagrâ ſymptomaticâ ea medendi methodus inſtituenda eſt, quæ maximum ad morbum originalem reſpectum habeat. Si enìm à ſcorbuticâ labe ſanguini impreſſâ (quod ſæpiſſimè obſervavi,) podagra oriatur; talia convenient medicamenta, et regiminis obſervantia, quæ in ſcorbuto debellando feliciſſima obſervantur: reſpectu tamen debito ſempèr habito ad primas digeſtiones, et peculiaria ipſius podagræ phænomena.

Si autem à lue votuereâ ſymptomatica ortum habeat podagra; ſalivatione mercuriali interno mercurii uſu excitatâ; decoctis lignorum; idoneo balneorum calidorum, et medicamentorum ſudorificorum uſu; (intercalatis demùm remediis opportunis, et regimine convenienti, ſtomachum omneſque digeſtiones reſpicientibus,) morbi curatio ordienda eſt et perficienda.

In paroxyſmo ſenum podagrico inveterato, et tophaceo, quià palliativa tantum curatio hìc inſtituenda eſt, aut ſperanda; his ſymptomatis occurrendum eſt, quæ falſa medendi methodus haùd rarò invitat.

In ventriculi igitur ægritudine, quando poſt topica repellentia, aut aliud quodvis regimen iniquum, morbi materia quæ in artus deponenda foret, in viſcera rejicitur; vini canarini ſemicocti ſpeciebus cordialibus infuſis ſaturati unc. ii. vel iii. languore aut ægritudine urgentibus, ſubindè deglutitæ, mira præſtant.

In graviori aliquo ex retroceſſu materiæ podagricæ ſuperveniente ſymptomate, lipothymiâ *v. g.* ſudoribus frigidis, vigiliâ pertinaci, ſpirituum ataxiá, aut ſimilibus; (irrito vino canarino prædicto) L. L. gut. plùs minùs xxv. in aquæ epidemicæ unc. ii. inſtillatæ, (adjectis ſpirit. vol. C. C. vel ſal. armoniac. gutt. aliquot) ægro ſe in lecto ad ſomnum componenti, exhiberi debent.

Epiſpaſtica interìm acria, et fotus emollientes, aut aromatici ſalini tepidi, partibus quas nuperrimè deſeruit podagra, illicò applicari debent; paregorici etiam doſis poſt legitimum temporis intervallum, ſi prior illa jàm ante hauſta propoſitum ſcopum non attingat; augenda eſt, ac repetenda.

In paroxyſmo podagrico inveterato, animi deliquio, torminibus ventris, diarrhæâ, ægritudine, aliiſque ejuſmodi ano-

malis

malis ſymptomatis ſtipato, (articulorum dolore recedente aut plurimum mitigato,) non tantum prædicta in uſum revocari debent, ſed etiam exercitium in rhedâ, ad horas aliquot in aere aprico ruſticano (quando præſertìm nec ſupra memorata remedia, nec medicamen emeticum pro re natâ hauriendum, funeſtiſſimis jàm dictis querelis amovendis ſufficiant) ſubindè continuandum eſt; et paregoricum ſub veſpertinum in lectum ingreſſum opportunè miniſtrandum.

In prædicto autem caſu, emeticum è rad. ipecacoan. felici admodum ſucceſſu haùd rarò propinavi; fotus dein, et epiſpaſtica, ut jàm ante obſervatum eſt, applicavi; et hauſtum narcoticum ægro in lectum remiſſo (neglectâ pro hâc vice in curru vectatione) ſtatim deglutiendum miniſtravi. Poſt placidum hinc ſomnum ad plures horas continuatum, ægrum præ quantitate materiæ podagricæ in articulos detonantis, dolore acutiſſimo ſuſcitatum, & ejulantem, à ventris torminibus, diarrhæâ, ægritudine, animi deliquiis, aliiſque omnibus pravis quibuſcunque ſymptomatis penitùs liberatum ſæpiùs conſpexi.

In diarrhæâ poſt laudani uſum ſubſiſtente, ſudor manè et veſperi remediis opportunis excitatus,

excitatus, et ad duas treſve horas per bi-duum aut triduum continuatus, alvi fluxum (irritis aliis remediis) ſiſtit; morbi fomite in artus præcipiti curſu ruente; ut *Clariſſimi Sydenhamii* facto in ſe experimento conſtat.

Podagrici qui non exercentur, brevia habent paroxyſmorum intervalla; et ad generandum calculum ſunt aliis procliviores.

Rheumatiſmus, calculus renum, aſthma, et podagra, ſunt morbi valdè affines; et ſæpè uno eodemque tempore ægrum infeſtant; unâ paritèr eâdemque nonnunquam operâ tolluntur horum morborum conſociatorum paroxyſmi: ut frequenti obſervatione didici.

Nihil paroxyſmum podagricum tutiùs et citiùs terminat, quàm copioſa urinæ ſedimento multo lateritio ſaturatæ excretio; mador quidam diaphoreticus, aut blandus ſudor à parte affectâ dimanans; dolores articulorum periodici acutiſſimi; alvi ejectio libera, ſubfulva, non graveolens, quotidiana; firma ſpirituum craſis; quietus et placidus viſcerum ſtatus; ſomnus ſpontaneus ritè protenſus; appetitus ciborum laudabilis, ſed minùs vorax; ſitis modica vel nulla;

et

et pruritus demum, ac deſquamatio partium materiâ podagricâ obſitarum.

Tranſlatâ ad caput materiâ podagricâ, balneationes pedum et tibiarum in aquâ calidâ, vel decoctis emollientibus, frequentes; ſaphenæ ſectio; veſicatoria ad nucham, femora, et tibias internas applicata; cucurbitulæ, et ſuppedanea acria; utilia ac efficacia ſæpiùs obſervantur.

Ad vomitum pertinacem continuum, ægritudinem horrendam, colicos dolores, et lipothymiam, quæ à materiæ podagricæ ab articulis ad viſcera regreſſu, in ſenili et ingraveſcente ætate, (ſubſtantiâ corporis in morbi fomitem penitùs ferè converſâ,) ortum habebant, ſublevandum; nihil efficacius notavi, quam julap. aliquod ſtomachicum, alexipharmacum, ſucco limonum inſtillato gratè acidulatum; ſpirituum volatilium ac etiam L. L. q. ſ. ſaturatum; parcâ ſæpiùs quantitate, et cochleatìm, quouſque ſymptomata prædicta amoveantur, et ſomnus interìm irrepat, exhibendum.

Ab hujus julapii uſu, et applicatis fotibus pro re natâ, ac veſicatoriis ſuprà memoratis; mala præfata ſubitaneam machinæ ruinam præſagientia ceſſaſſe et materiam podagricam liberatis ab hoſte viſceribus,

ceribus, magno impetu, dolore, et inflammatione, locos quos nupèr deſeruit, ad ſummum ægri emolumentum recèns invaſiſſe, frequentiſſimè obſervavi. Nec ad hunc optatum eventum intereà producendum, parùm contulerunt decubitus in cubiculo tenebricoſo totius corporis & præcipuè capitis quàm maxime quietus; taciturnitas; animi tranquillitas; fotus aromatici confortantes; emplaſtra ſtomachica regioni ventriculi applicata; vinum canarinum ſemicoctum ſpeciebus cordialibus infuſis ſaturatum, cochleatìm ſubindè deglutitum; ſynapiſmi; ſuppedanea acria; vinum album liſbonenſe modicâ aquæ, in quâ panis toſtus maceratus fuerit, quantitate dilutum; ſucco aurantiorum acidulatum, et tantillo ſacchari edulcoratum, pro potu ordinario parcâ tantum ſingulis hauſtibus quantitate ſumendum; aut ſerum lactis canarinum, ſucco aurantiorum acidulatum, memorati jàm liquoris loco ſubſtituendum; extremorum fricationes; enemata emollientia ſubindè injecta; aliaque ejuſmodi.

Quandò à frigore ſuſcepto aut alio aliquo errore commiſſo, materia podagrica ab articulis in pleuram, vel pulmonum ſubſtantiam regreſſa conjicitur; haſque partes inflammat; detractione ſanguinis copioſâ repetitâ; dtætâ tenui et refrigerante; re-

laxantibus

laxantibus et pectoralibus medicamentis; aliâque methodo pectorali antiphlogiſticâ; morbi hi, haùd ſecùs ac in peripneumoniâ, aut pleuritide eſſentiali fieri ſolet, tractari debent.

Frequentior veſicatoriorum ad femora, tibias, nucham, carpos, et brachia interna, pro re natâ ſucceſſivè applicatorum uſus, hîc maximè convenit; et à tali applicatione, morbi materiam à pleurâ, aut pulmonibus, ad articulos avocatam (ceſſantibus ſubitò pleuriticis omnibus, peripneumonicisque ſymptomatibus,) ſummâ animi delectatione frequentiſſimè notavi.

In pleuritide et peripneumoniâ hiſce ſymptomaticis, balneationes et fomentationes extremorum aquâ tepidâ; ſpongiæ decoctis emollientibus imbutæ, ſæpiùs applicatæ; ſaphenæ ſectio pro rei exigentiâ et varietate circumſtantiarum repetenda; et enematum emollientium prout opus fuerit, injectio repetita optimè conveniunt.

Qui podagrâ vexatur, et a morbo liberari deſiderat; à venere, vino multo, vigiliis diù protractis, jejuniis immodicis, ſtudio intenſo, gravioribus animi pathematis, nocturnis et diurnis aeris injuriis, lucubrationibus, vitâ ſedentariâ, nimiâ ciborum ingluvie, horum pluribus ſpeciebus in unoquoque paſtu,

exercitiis vehementioribus aut præter rationem protractis, et ab his omnibus quæ ſpiritus animales, aut alia coctionum inſtrumenta enervant ac debilitant, ſedulò abſtinere debet.

Exercitium vehementius, ac diutiùs quàm par eſt protractum, ſpiritus animales ultrà modum diſſipat ; modicum autem, et ſtatis horis quotidiè continuatum, eoſdem firmat ; reſtaurat ; et vegetos reddit.

Paregorica quietem humoribus conciliando, ſpirituum ataxiam compeſcendo, vigilias immodicas reprimendo, dolores acerbiſſimos leniendo, et motum humorum verſus corporis ſuperficiem determinando, retrogreſſam materiam podagricam ad artus iterùm relegant.

Cortex peruvianus optimum eſt ſtomachicum medicamentum ; et adverſùs podagram, calculum, rheumatiſmum, alioſque complures chronicos morbos efficax et ſingulare remedium ; ac inſigne quidem prophylacticum. Stomachi digeſtiones promovet ; ſolidorum enervatum tonum reſtituit ; ſalium animalium urinoſorum attractiones imminuit ; diuturniorem horum in humano corpore moram et retentionem præcavet ; materiam inſenſibilis per-

ſpirationis

ſpirationis legitimâ concoctione præparat; debilitatam ſpirituum craſin reſtaurat; eorundem feliciorem ſecretionem promovet; nec ullum intereà in ſolidis calorem, aut fluidis acredinem producit.

Flores ſulphuris, æthiops mineralis, ſucci ſcorbutici, cerevifia antiſcorbutica, elixir antivener. trifolii paluſtris infuſio, ſerum lactis caprilis, (ventriculi tono ſtomachicis opportunis intereà ritè munito) in podagræ ſcorbuticæ, et rheumatiſmi ſcorbutici paroxyſmorum intervallis, multùm valent; et ad hos morbos debellandum egregiè conferunt.

Rheumatiſmo ſcorbutico inveterato vexatum, ſalivatione mercuriali interno mercurii uſu excitatâ, (irrita aliâ omni medendi methodo,) felici eventu reſtitutum haùd ſemèl obſervavi.

Venæſectio, et purgatio, bìs tervè repetita; paregoricum poſt omnem ſaltèm catharſin horâ nonâ veſpertinâ hauſtum; diuretica et antiſcorbutica lenia ſubindè vorata; diæta tenuis, vegetabilis, et refrigerans; aliaque methodus antiphlogiſtica accommodata ad rheumatiſmum inflammatorium ſubigendum, multum conducunt.

Ad hunc paritèr optatum finem aſſequendum, diæta lactea aſinina, nitrata remedia, immerſio in aquam frigidam aut marinam omni mane ad plures dies continuata, quotidianæ corporis frictiones, ptiſanæ refrigerantis, diureticæ, nitratæ, et ſubacidæ potus, atque exercitia in aere ſalubri ruſticano moderata haùd parùm conferunt.

Immerſio in aquas marinas, methodica aquæ ſpadanæ potatio, et antiſcorbutica accomodata, in paroxyſmorum intervallis debito ordine continuata, ad rheumatiſmi recidivam præcavendum egregias habent vires.

Lactea diæta licet humorum acredinem, calorem, exæſtuationem, et podagricos dolores multùm imminuat; concoctiones tamen, viſcerumque ſtatum quandoque debilitat, et naturæ principia labefactat; undè æger jàm morbo pellendo magìs impar redditur. Non ſine magno igitùr vitæ diſcrimine, complures podagrici ad integram et ſolitariam lacteam diætam relegantur; ut repetitâ experientiâ notum habeo.

Lactis uſus podagricos dolores demulcet; ſpirituum ataxiam nonnunquam præcavet; benè

benè nutrit; et facilè digeritur. In podagrâ ergo inveteratâ magnum aliquandò ſolamen affert, modò tamen æger vino, aut liquoribus ſpirituoſis non fuerit diù vel multo tempore aſſuetus; et non alio præterea deincèps ad ultimum vitæ terminum, nutrimento utatur.

Hypochondriacis, hepate obſtructo gaudentibus, craſſo et pingui corporis habitu donatis, aut liquoribus ſpirituoſis diù multumque aſſuetis lac minùs convenit. Talibus podagricis ad lacteam diætam ſolitariam temerè relegatis, hydropem cum diro aſthmate et viſcerum abdominalium pertinaci obſtructione ſociatum; artuum frequentem debilitatem, contractionem, et motus ferè omnis privationem; læſas ventriculi functiones; virium proſtrationem inſignem; concretionumque tophacearum generationem ſuperveniſſe pluriès expertus ſum.

Lac aſininum manè et veſperi tantummodò, minori cum diſcrimine uſurpatur; tutiùs etiam ſero lactis caprilis ad mediocrem quantitatem, omni ſaltèm manè ad tempus aliquod hauſto, ſanguis diluitur et contemperatur; dummodò prandium ex parciori carnium juniorum animalium quantitate, pane optimo ritè fermentato,

vino aquâ diluto pro potu, et vini inſupèr generoſi puri ſemilibrâ, diverſis poſt prandium ſucceſſivè hauſtulis deglutitâ conſtet, ad ſpiritus refocillandum; et legitimam alimentorum coctionem promovendum.

In rheumatiſmo, et podagrâ, à ſale acri, volatili, urente, et ſcorbutico ortis, (quià maſſa humorum in talibus, nimìs calefacta ſolidorum fibrillas irritat, criſpat, convellit, et variè afficit; habitus corporis plerumque macilentus eſt; et temperamentum paritèr bilioſum;) abſorbentia in paroxyſmorum intervallis indicantur et emollientia antiſcorbutica, quæ humores leniunt ac demulcent; et nimiam ſalium acrimoniam obtundunt.

Quandò autem memorati jàm morbi, à ſcorbuto (ut vulgò dicitur) frigido ſuboriuntur, (quià habitus corporis in tali caſu generatìm carnoſus eſt, ac ſubpinguis; et præ nimiâ humorum viſciditate, magna in hydropem, arthritidem, catharrum, aſthma humorale, lethargum, alioſque nervoſi generis morbos adeſt proclivitas;) ea propriè conveniunt antiſcorbutica, quæ ſale quo ſcatent acri, volatili, et pungente, ſanguinem grumoſum et viſcidum dividunt,

attenuant,

attenuant, et fluidum faciunt ; ſecretionibuſque promovendis & perficiendis aptum reddunt.

In aſthmate humorali, et catharrali, emetica repetita ; equitatio in aere aprico ruſticano diù continuata ; modica phlebotomia ; lenia purgantia ſtomachica ; extremorum quotidianæ frictiones ; infuſiones, & tincturæ ſtomachicæ amaræ confortantes ; pectoralia detergentia, & excreationem ſputi promoventia ; hydromel. vinum millepedum ; volatilia medicamenta ; epiſpaſtica ; fontanellæ ; diæta boni ſucci & facilis digeſtionis modica, & temperata ; anodyna pro re natâ lenia ; capitis raſura frequens ; veſtis ſuccincta ; aliaque id genus debito ordine & opportunâ methodo uſurpata felices quidem et ſalutares producunt effectus : ut repetitâ pluriès experientiâ comperi.

In aſthmate convulſivo, ſanguinis detractio paulò liberalior ; enemata emollientia aut alia lenia laxantia pro re natâ repetita ; pectoralia oleoſa et balſamica ; diuretica alkalina abſorbentia ; tenues ac diluentes hordeacei, ſeroſi, aut amigdalini liquores, affatìm et tepidè hauſti ; pulveres teſtacei ſtatis horis vorati ; paregorica medicamenta & ſpeciatìm elixir aſthmaticum ;

maticum ; cephalica nonnunquam & cardiaca remedia ; aer apricus ruſticanus ; diæta accurata ; exercitia modica ; aliaque his ſimilia ad morbum debellandum, ægrumque ſublevandum plurimùm valent.

Ad aſthma humorale amoliendum, gum. ammoniac. flor. ſulphur. et benzoin. pillul. balſamic. milleped. ſperm. cæt. fol. hæder. terreſt. hyſſop. veronic. marub. alb. oxymel. ſcillit. 5 rad. aperient. et balſam. ſulphur. terrebinth. aut cum oleo lini egregiè conferunt.

Aſthma hyſtericum, & hypochondriacum, medicamentis hyſtericis opportunis ; equitatione aut in curru vectione, ad aliquot quotidiè horas in aere ſalubri ruſticano continuatâ ; L. L. in julapio aliquo pectorali hyſterico inſtillato, horâ ſomni prout opus fuerit propinando ; & aquæ ſpadanæ omni mane potu, ad menſem unum aut alterum protracto ; auſpicatò debellantur.

Aſthma pertinax et inveteratum in hydrope facilè terminatur. Cave igitùr, nè à nimiâ in aſthmatis curatione ſanguinis factâ jacturâ, malum illud, in ægri perniciem & medici opprobrium temerè invitetur. Aliâ itaque tutiori methodo, prædicto morbo occurrendum eſt.

Inter

Inter pectus et pudenda, inter idem et crura magnus eſt conſenſus; ut innumeris patet experimentis. Tumor ſcroti, pedum, aut crurum oedematoſus aſthmati ſuperveniens morbum ſolvit: retrogreſſa paritèr harum partium inflatio eundem recidivare facit. Pari ratione materia podagrica ad articulos inferiores demandata aſthma levat podagricum: eadem repulſa idem iterùm repullulare cogit. Ulcera tibiarum à naturâ aut arte formata pulmones levant inflammatos; et ſputi ſuppreſſi excreationem promovent. Tumor pedum et crurum oedematoſus aſthma ſolvens, ſi ſubitò et prætèr rationem diſpareat; (metaſtaſi factâ) pectoris producit hydropem: Ut in noſocomiis, & praxi haùd raro obſervavi.

De Lue Venereâ.

LUES venerea hæreditaria ſub aliorum morborum larvâ, inſontes ſæpè torquet. Hinc phthiſeos pulmonaris, et nervoſæ, ſcorbuti, et podagræ, ſtabilia ponens fundamenta, medicis minùs ſagacibus graviorum in praxi errorum occaſiones haùd raro ſubminiſtrat.

Quæ ex coitu impuro, lactatione, oſculatione, ſalivâ, aliâvè quâvis contrectatione irrepit contagioſa lues, ſi morbi cauſa opportunâ methodo non fuerit tempeſtivè et perfectè deleta ; inveteraſcens tandem et malè curata, aliorum malorum formam induit ; quorum curatio, non niſi ſedulo ad primariam labem reſpectu priùs habito, deinceps ritè perficitur.

Sagacitate igitùr, patientiâ, et prudentiâ, medico opus eſt maximis, ad genuinas morborum cauſas et veros cauſarum fontes detegendum : nec niſi omnibus, quæ ad morbum aut ægrotum attinent, vel minimis circumſtantiis, ſeriò penſitatis ; et omnibus etiam, quæ ad cauſas occaſionales, et latentia morbi fundamenta inveſtigandum conferunt, ſciſcitando priùs exploratis ; manum calamo ſcriptorio applicare debet : nè nimìs feſtinantèr et temerè præſcribendo, in ægri perniciem et ſalutaris artis opprobrium, à verâ medendi viâ in amfractuoſos tramites, per imprudentiam aut ſocordiam turpitèr deflectatur.

Gonorrhæa virulenta primum venerei morbi, per impurum contactum communicati ſtadium indicat. Iſtâ tamen neutiquam omninò apparente, maſſam nihilominùs

minùs humorum inficit aliquandò dira lues. Infidâ hinc deceptus ſecuritate qui cum inquinatâ fæminâ communicavit, non niſi evidentiſſimis putredinis veneree univerſalis ſignis apparentibus, illiciti amplexus condignas ſe pænas luere percipit.

Ulcuſcula in glande et præputio cancroſa, bubones venerei, et teſticulorum tumores primo huic ſtadio ſæpè ſuperveniunt; et præter remediorum internorum uſum, fomenta et cataplaſmata emollientia, reſolventia, aut maturantia, cucurbitulas, cauteria, corrodentia mercurialia, digeſtiva, mundificantia, lanceolam, aliaque ſæpè auxilia chirurgica expoſcunt.

Gonorrhæa virulenta indicatur materiæ corruptæ, flavæ, purulentæ, ichoroſæ, è membro virili aut uteri vaginâ extillante profluvio; ardore urinæ intenſo; dolore per urethræ ductum quaſi aciculis compungatur æger, lancinante, ſæpiùs et ſubitò tranſcurrente; ardore aut calore partium genitalium moleſto; pryapiſmo; membri virilis aut genitalium muliebrium tumore inflammatorio; quibus omnibus pluriès etiam accedunt carunculæ in urethrâ formatæ; ſtranguriæ; vaſorum ſeminalium, proſtatarum, colli veſicæ, aut urethræ eroſiones et ulcerationes.

Recenſita modo ſymptomata, primum morbi venerei ſtadium cum inflammatoriâ putredine in partibus generationi inſervientibus ſociatum eſſe, lucidè demonſtrant. Curatio igitùr hujus morbi diæta tenui antiphlogiſticâ ; liquoribus hordeaceis, emollientibus, aquoſis, tenuibus, modicè diureticis ; ptiſanâ *v. g.* emolliente, diluente, refrigerante, diureticâ, in quâ ſal. prunel. aut nitrum purificatum diſſolutum fuerit ; decocto malvæ ; emulſionibus è 4 ſemin. frigid. major. amigdal. dul. et aq. hord. compoſitis ; aut ſimilibus affatìm pro potu ordinario hauſtis ; diureticis abſorbentibus ; enematibus emollientibus ; et lenibus aliis medicamentis laxantibus ; per primos decem vel duodecim dies diligentèr tentanda eſt. Pillul deìn purgant. è maſſ. *v. g.* pill. coch. minor. mercur. dul. diagrid, et reſin. jalap. cum ſyrup. de ſpinâ cervinâ compoſitarum opportunâ doſi, alternis aut tertiis diebus vorandâ, eadem perfici debet ; quoùſque color et conſiſtentia materiæ excretæ laudabilis, ipſa vero excretio parca admodum aut nulla, et ſymptomatum aliorum omnium ſublatio aut ſaltem remiſſio inſignior, virulentiam omnem jàm penitùs debellatam eſſe certò indicaverint. Hoc autem penſo felicitèr abſoluto, internæ jàm dictæ ulceratæ partes tantillo ſal. armoniac. fix. in

liquoribus

liquoribus diluentibus ſupradictis ſolut. mundantur : balſamicis deìn, terebinthinatis, et corroborantibus medicamentis ſanantur prorsùs, et ad debitum tonum reſtituuntur.

Gonorrhæa(præfatâ medendi methodo non obſtante) (amotâ quantumvis omni virulentiâ) pertinacitèr adhùc ſubſiſtens, turpeth. mineral. repetitis pro re natâ doſibus ; reſtringentium accommodatorum, chalybeatorum, et ſpeciatìm aquæ ſpadanæ uſu ; immerſione in aquas marinas matutinâ ad plures ſeptimanas quotidiè repetendâ ; injectionibus in urethram opportunis ſubindè repetendis ; diætâ interìm et regimine legitimo prudentèr miniſtratis, auſpicatò debellatur.

Ulcuſcula præputii cancroſa, aliis in glande ſuccreſcentibus curatu difficiliora obſervantur ; et majus in luem univerſalem prolabendi periculum præſagiunt.

Tumor teſticulorum ſuperveniens ; pryapiſmus excrucians ; urinæ et meatuum urinariorum permoleſti ardores ; glandis aut præputii inflammatio ; temperamentum ſanguineum aut plethoricum ; juvenilis ætas ; anni tempus vernale ; ſitis ; præcordiorum æſtus ; liquorum ſpirituoſorum et ſpeciatìm vini immodica prægreſſa ingurgitatio ; exercitia

tia vehementiora; aliaque cuncta inflammando ſanguini apta, vel eundem jàm inflammatum monſtrantia; liberalem in his morbi ſtadio et circumſtantiis, hujus liquidi detractionem indicant: ſivè unicâ tantum, ſivè repetitis jàm vicibus hæc fiat; (mercurialibus ſaltem aliquot catharticis pro re natâ præmiſſis.) A tali enìm ſanguinis jacturâ non tantùm lues univerſalis tutò ſæpè præcavetur, ſed omnia inſupèr primi ſtadii ſymptomata jàm memorata, hinc citiùs multò faciliùſquè delentur.

Boli mercuriales è mercur. dul. pluriès ſublimat. manè et ſerò diebus purgatione vacantibus vorati, ſuperbibendo decoct. lignor. ſudorific. ſubcalid. unc. xii. ad virus omne venereum delendum, et luem univerſalem ab ulceribus venereis in præputio aut glande ſuccreſcentibus, vel bubonibus in inguinibus apparentibus orituram, præcavendum; omnem adimplent paginam.

Qui reſtringentibus medicamentis ſivè internis, ſivè per urethram injectis venereum profluvium (non ſublatâ priùs cauſâ) callidè intercipiunt nefarii empirici, aut ignari medicaſtri, materiam morbificam in teſticulos aut temerè conjiciunt horumque tumores inſignes excitant; aut labem univerſalem

morbi

morbi cauſam in maſſam ſanguineam tranſmittendo, ſceleratè invitant.

In tumoribus teſticulorum, cataplaſma ex orizâ in butyro recenti et lacte coctâ cum adjecto croco compoſitum, malum reſolvendo ſolvit.

Qui chirurgis, empiricis, pharmacopolis, circulatoribus, aut ſciolis medicaſtris (uti hodiè plerùmque mos eſt) morbi venerei tractationem committunt, multa indè et innumera ſaluti humanæ prorsùs inimica mala invitant.

Hinc enìm venereum virus ſæpè inveteratum devenit, nullâ prorsùs deinceps arte ſanabile; nobilium complurium hæredes aut in juventute extincti, aut ad generationem et ſpeciei propagationem inepti facti, miſerè conficiuntur; diriſſimorum morborum, podagræ *v. g.* rheumatiſmi, phthiſeos pulmonaris acutæ et chronicæ, febris hecticæ, ſcorbuti, hydropis, aſthmatis, cachexiæ univerſalis, viſcerum nobilium obſtructionum inſanabilium, phthiſeos nervoſæ, morborum hyſtericorum et hypochondriacorum, tuſſium catharralium, paralyſeos, tremorum, epilepſiæ, apoplexiæ, febrium malignarum, aliorumque lethalium morborum magnum horrendumque agmen, latentia etiam ſæpiùs ac primaria ſeminia luctuoſè ſoboleſcunt.

Quantâ

Quantâ verò injurioſâ temeritate, morbus qui ſolida et fluida corporis humani variè afficit, et intimos penetrat minimorum vaſculorum receſſus; qui infinitis propèmodum hinc ſuborituris morbis durationem, exiſtentiam, et exacerbationem (ut anteà obſervatum eſt) communicat; qui protei formâ, ſub aliorum morborum larvâ frequentèr ſæviens ſymptomata parit diverſa, numero indefinita, et inter ſe invicem nonnunquam repugnantia; qui mercurii in infinitum diviſibilis actionibus, per principia ſolida phyſico mechanica et mathematica demonſtratis ſubjicitur; (reſpectu debito ad incredibilem illam circumſtantiarum varietatem quæ varia reſpicit temperamenta, ſexus, ætatem, anni tempus, conſuetudinem, invadendi modum, morbi majorem vel minorem malignitatem, regionem, morbi tempora, diætam, idioſyncraſiam, aliaque permulta, quorum matura conſideratio et huic innixa medendi methodus opportuna ſagaciſſimum forsàn et exercitatiſſimum medicum deſiderarent, ſempèr habito,) empiricis, pharmacopolis, aut etiam chirurgis (exceptis ſolummodo, quæ ad tumores, ulcera, aliave chirurgiæ externa attinent objecta,) tractandus committatur; judicet qui œconomiæ animalis pomæria perluſtravit, et ſolidis medicinæ principiis inſtructus,

ſtructus, in morborum chronicorum et acutorum curationibus ſeipſum indeſinentèr exercitavit.

Lues venerea confirmata, ſalivatione mercuriali interno mercurii dulcis ſæpiùs ſublimati uſu excitatâ, opportunè curatur; iſque ptyaliſmi gradus plerumque ſufficiet, qui nycthemeri ſpatio ad lb. circitèr iv. aſſurgit; Modò ad opportunum ſatis temporis terminum protrahatur.

Mercurio dul. et turpeth. mineral. ritè exhibitis tutiùs excitatur ptyaliſmus, quàm neapolitano aut alio quovis unguento extrinſecùs linito. Salinorum enim ſpiculorum, quæ in mercuriò dulci poſt repetitas ſublimationes reſtant, reliquiæ, vaſa minora et glandulas ſecretorias, ad phlegmatis viſcoſi, morboſi, et mercurii ipſius excretionem, ſtimulo haùd ingrato ſolicitant. Hinc minùs hæret in minimis carnearum, membranearum, aut oſſearum partium vaſculis, medicamentum; quarè minora producit in corpore mala; quià dummodò laudatâ methodo voratur, non tantum majori facilitate poſt repetitos cum ſanguine circuitus auſpicatò tandem rejicitur; ſed hujus etiam inſumpti, ad effectum optatum producendum, requiritur quantitas multò minor; hæcque eadem certiùs et accuratiùs determinatur.

Ggg Nec

Nec ad feliciorem mercurii dulcis effectum hâc occaſione producendum, parùm conferre crediderim; quod per tot repetitas ſublimationes ignis ope, mirum in modum ſubdividantur mercuriales globuli; quodque præthereà ſtomachi, muſculorum abdominalium, aliorumque meatuum per quos tranſiturus eſt mercurius, antequam ſanguinis maſſam ſubingrediatur, actionibus adhùc teratur magìs; et in minores etiam globulos ſubdividatur; undè conſtituentium partium gravitas minor; tranſitus per minimos canaliculos facilior; tenerrimorum vaſòrum læſiones rariores; horumque rupturæ, aut obſtructæ in iiſdem globulorum hæſionis, minora emergunt pericula.

Qui ptyaliſmum nullâ præmiſſâ corporis præparatione, excitare ſatagunt; mille ægrotis hinc ſæpiùs accerſunt graviſſima mala. Hæret enim tum ſolidi tum fluidi vitio, in obſtructis vaſculis medicamentum hoc modo perperàm ingeſtum; dolores parit cruciantes, et obſtructiones incurabiles; oſſaque ſæpè reddit barioſa; ſi præcipuè nimiâ quantitate et pertinacitèr ingeratur.

Qui debitis per phlebotomiam, catharſin, clyſteres, et emetica, præviis evacuationibus vaſa ſanguifera deplent; balneationibus tepidis

tepidis emollientibus ſolida laxant; liquorum refrigerantium ac diluentium tepidorum pleniori potu ſanguinem diluunt; viſcidos grumoſos et tenaces humores ſolvunt, ac fluidos faciunt; diætâque convenienti vegetabili aut facillimæ digeſtionis corpus reficiunt; hi maſſæ ſanguineæ mercurii actione deìn ſolutæ et rarefactæ, ut liberè circumeat, locum aut ſpatium parant opportunum; dummodò laxatis interìm balnei uſu minimis canaliculis, ingreſſus in minora vaſa et egreſſus globulis mercurialibus præbentur accommodati. Hinc morboſi et viſcidi phlegmatis ſolutio, et ad glandularum ſecernentium ora facilis appulſus; hinc perfecta maſſæ ſanguineæ ſubactio, correctio, et edulcoratio; hinc denique vitiatæ et morboſæ ſalivæ excretio copioſa, utilis, et neceſſaria; morbique univerſi et ſymptomatum omnium moleſtorum exterminatio, auſpicatò ſubſequuntur: Ut repetitâ ſæpiùs experientiâ notavi.

Quibus à mercuriali inunctione ultrà quam par eſt protractâ, aut diverſis interjectis intervallis, ad luem veneream amoliendum ſæpiùs repetitâ, nimia mercurii quantitas ingeritur; hi compluribus ſymptomatis apparentèr venereis, et doloribus huic morbo familiaribus diù noctùque torquentur: dolores tamen hi reverà venerei non ſunt, ſed mercuriales;

 ab

ab exuberanti ſcilicet et nimiâ mercurii quantitate, in minoribus canaliculis congeſtâ orti; quæ ſuo pondere horum premit latera, et capacitates coarctat ac conſtringit. Hinc ſpaſmodicos et horrendos, in perioſtei aliarumque membranarum ſenſibilibus fibrillis, excitat cruciatus; harum naturales ſolvit uniones; ſolutionem continui in iiſdem partibus quâcunque de cauſâ ſemèl inchoatam, mirum in modum multiplicat; et malum conſequentèr, ad quòd ſubigendum tanta medicamenti copia temerè ingeſta fuit, gravitèr adauget.

Præfatis detento malis, ſivè à mercurio externè, aut internè, majori quam convenit copiâ miniſtrato, ſivè à frigore dum hoc fit ſuſcepto ortum habeant; balnea aquæ dulcis ſubcalidæ, cui herbæ emollientes, cephalicæ, et aromaticæ, incoctæ ſunt, ſingulis vel alternis diebus repetita, et ad bimeſtre pro re natâ ſpatium continuata, præmiſſis balnei uſui venæſectione modicâ et leni carthartico, utilia quidem et ſalutaria frequentiſſimè obſervavi.

Repetitâ ſæpiùs experientiâ fretus, affirmo balnea prædicta, (modo ad diuturnum ſatìs temporis terminum continuata ſint; lene catharticum decimo vel duodecimo quoque

que die dum balneorum uſui incumbit æger, propinatum fuerit; decoctum lignorum manè et veſperi ad modicam quantitatem tepidè hauriatur; et ſudores poſt egreſſum è balneo ſpontè erumpentes debitâ cautelâ in lecto ad aliquot horas eliciantur;) ſympto-mata præfata præ aliâ quâvis methodo mihi adhùc cognitâ, vel ab aliis quantùm noverim obſervatâ, tutò et félicitèr debellaſſe; ægrumque è moribundo et deplorato ſtatu, in ſanum et vegetum frequentèr reſtituiſſe.

Quoſdam lue venereâ, poſt repetitas fruſtrà ſalivationes et exantlatos plures hujuſmodi inutilitèr labores, malè curatâ mulctatos, hâc ipſâ methodo (adjecto tamen ſempèr bolo, è mercurio dulci pluriès ſublimato; flor. ſul-phur. ſal. tartar. et camphor. ā gr. aliquot; compoſito, ſub ingreſſum in balneum voran-do; hauſtu intereà decoct. lignor. ſudorific. poſt bolum devorato,) tutò liberavi.

Inter balnei repetitiones ut hinc refici-antur vires, pauci pro re natâ dies interpo-nuntur; quibus intermediis diebus, bolus præ-dictus ad modicam doſin mane et ſero de-vorari debet, unà cum decocto ſuprà memo-rato. Præfata interìm catharſis ſemel tan-tùm omni ſeptimanâ in hoc caſu inſtitu-

enda

enda eſt, niſi tamen glandularum ſalivalium inſignior ſuperveniens intumeſcentia, frequentiorem repetendæ catharſeos neceſſitatem ſubminiſtraret; quo in caſu talis repetitio fieri poſſit ac debeat; diebus tamen hiſce purgatoriis omittendo bolum, decoctum, et balneum ſuprà memorata.

Qui poſt immodicam mercurii ingeſtam quantitatem, et devoratum ſæpiùs ſalivationis tædium, ſe doloribus venereis afflictos putant; falluntur ſæpè: dolores enìm iſti non ſunt reverà venerei, ſed à mercurio ſuccreſcunt. Balneis igitùr ſubcalidis, profuſis elicitis ſudoribus, remediis diaphoreticis, et lacteâ diætâ ritè inſtitutâ ſublevantur: a mercurialibus è contrà medicamentis in pejus ruunt, et exacerbantur.

Qui legitimâ exantlatâ ſalivatione morbi venerei reliquias eliminare nequeunt, balneis ſubcalidis memoratis, diaphoreticis opportunis, et diætâ idoneâ per plures dies uti debent, antequam ſalivatio de novo repetatur; ut hinc mercurii olìm ingeſti particulis egreſſus è corpore pateat opportunus, priuſquàm recens de novo medicamenti ſupplementum iterùm admittatur.

Ab hâc cautelâ omiſſâ, innumeros in aliorum praxi commiſſos errores vidi. Hinc enìm

enìm poſt repetitas ſæpiùs ſalivationes, venerei morbi ſymptomata indomita notavi ; quæ tamen balneorum calidorum continuatorum, et ſudorificorum uſu priùs præmiſſo, deìn leni ſalivatione interno mercurii uſu excitatâ, facili negotio forent delenda; ut repetitis in praxi factis experimentis certò comperi.

Ad nodos venereos, et oſſa carioſa ſanandum ; (præter auxilia chirurgica) ſudorifica medicamenta, balnea ſubcalida, ac præcipuè vapores aquæ dulcis calidæ, et ſpiritus vini, itemque balnea vaporis ſulphurea aquiſgrani uſitatiſſima, multò magìs prævalere exiſtimo, quàm immodicum et temerè repetitum mercurialium externorum aut internorum uſum: cum priora illa morbum quodammodò ſublevent, aut ſaltèm leniant; poſteriora autem eundem irritent magìs, ac laceſſant.

Qui leniori alicui mercuriali inunctioni pluriès repetitæ, et diutiùs continuatæ, (ægro interìm ſub dio muniis ſolitis fungente,) ad luem confirmatam in noſtrâ hâc regione radicitus amoliendum, fidunt ; decipiuntur frequentiſſimè. Hæc enìm medendi methodus, haud ſecùs ac alia iſta in lignorum diaphoreticorum uſu fundata, in auſtralibus licet

licet plagis felices forſan ob minorem à ſole diſtantiam producat effectus ; in inſulâ tamen hâc noſtrâ quadantenùs boreali, irrita omninò obſervatur : Ut mihi repetitis in praxi factis obſervationibus luculentèr innoteſcit.

FINIS.